

Ex lib. Equit. Prosperi de Rosa

PHILOSOPHIÆ

A

BENEDICTO STAY RAGUSINO

VERSIBUS TRADITÆ

LIBRI SEX

EDITIO TERTIA

JUXTA SECUNDAM EDITIONEM ROMANAM.



VENETIIS

Excudebat FRANCISCUS STORTI.

CIↃ. IↃ. CC. XLIX.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.



Mandare quemquam litteris cogitationes suas, qui eas nec disponere, nec illustrare possit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis est intemperanter abutentis & otio & litteris. *Cic. Tuscul. Disp. lib.* 1.

EMINENTISSIMO
AC REVERENDISSIMO PRINCIPI

SILVIO
CARD. VALENTI

S. R. E. CAMERARIO
ET SECRETARIO STATUS.

BENEDICTUS STAY
S. P. D.



IN humaniorum artium ſtudiis uſuvenire ſolet, CARDINALIS AMPLISSIME, ut eam, quam quiſque profitetur, patere latiſſime facultatem putet, atque ita cum reliquis fere omnibus do-

ctrinis colligatam ac nexam esse, ut qui rite illam assequi velit, cæteris omnibus ornatum atque instructum esse oporteat. Neque enim aut perfectus Orator aut excellens Historicus videtur iis, qui earundem artium leges definierunt, qui non omnium rerum scientiam animo comprehenderit. Quæ eo usque ad reliquas etiam artes dimanavit opinio, ut ne Architectum quidem aliter informari recte posse sit a Vitruvio traditum. Verum, quæ isti fortasse nimis arroganter usurpant, id potissimum ei præstantissimæ Disciplinæ, quæ Urbium est Magistra Rerumque publicarum Moderatrix, convenire fatendum est. Cum enim illi in maximo amplissimoque munere sit versandum, jura Populis stabilienda, in societate multitudo continenda, Religionis cultus ritusque servandi, nonne in hac tantorum Operum administratione erit eidem doctrinarum omnium cognitio comparanda, ut una divinarum atque humanarum rerum scientiam omnem complexa esse videatur? Quæ quidem unde suppetere adjumenta ei possint, minime video, nisi eidem cum universa Philosophia maxima intercedat necessitudo, ut si illius conjunctione præsidioque careat, nulla profecto esse possit. Neque vero hæc a me ita dicuntur, quasi non a Stoicorum opinione vehe-

mente

menter diſſentiam, qui Sapientem ſolum Regem eſſe diſputabant; neque eum qui intra parietes atque in Academiæ umbra latuiſſet, ſubito capeſſendæ Reipublicæ Regnique gerendi ſcientiam conſecutum exiſtimo; ſed illud ſtatuo optimos Reges, optimos Regum Adjutores atque Adminiſtros Philoſophiæ opera potiſſimum informari, & ſi quando contigerit, ut qui cauſarum ordinem rationemque intelligat, idem ſummæ rerum gerendarum præficiatur, tunc & florentiſſimum Imperii Statum & beatas Reſpublicas fore. Quæ cum affirmem, non is ſum, qui non videam, quam arduum ſit ac difficile præeſſe cæteris, omnia ſuo arbitratu movere, Civium animos æquitate moderari, atque idem quam pene exhibeat ſpeciem quandam ipſius Naturam omnem moventis ac temperantis Dei. Sed cujus animus hanc Naturæ infinitatem ſit contemplatus, quibuſque legibus converſiones Siderum Maria ac Tellus obtemperent, penitus perſpexerit, magno quodam ordinis ac legum ſplendore imbutus atque illuſtratus, cum ad hæc humana deſcenderit, quæ vincula ſint ſocietatum, quæ jura Populorum, quæ Civitatum inſtituta, facile cognoſcet, & ad exprimendam in Republica imitandamque Mundi gubernationem ſentiet mirificos impe-

tus. Cumque Dei ipsius amplam atque excellentem notitiam formamque effinxerit, & perviderit naturam Animorum nostrorum, tum & Religionem cæremoniis optime vallatam tuebitur, modumque rerum agendarum atque humanæ libertatis usum sapientissimis decretis statuet ac definiet. Hæc mihi sæpius mecum cogitanti permulta ex vetustissimis repetita temporibus exempla sese animo offerebant, quæ sententiam hujusmodi comprobarent, cum viderem eandem apud Veteres adeo invaluisse, ut quicumque bene gestæ Reipublicæ commendationem esset adeptus, idem in Sapientium numero collocaretur. Nam nec Solonis nec Lycurgi nec Numæ neque aliorum hujusmodi Philosophiæ pene Parentum atque Auctorum Sapientiæ laudes tantopere enituissent, nisi tam præstanter Civitati præfuissent, ut sine summo doctrinæ præsidio id consequi crederentur non potuisse. Cum vero ad nostram ætatem me referrem, multa quoque exempla occurrebant, nostraque memoria multos esse Reges noveram, quorum singularis in Philosophiam amor prædicaretur. Sed me movet præsertim atque excitat præstantissimum Sapientiæ specimen, quod in BENEDICTI XIV Pontificis Optimi Maximi laudibus percurrendis recensendaque vita elucet. Jam enim ipsam Veritatis ar-

cem

cem illo ad ſummæ Dignitatis faſtigium divinitus evecto quadam doctrinæ ac ſcientiæ luce circumfuſam nobiſque propoſitam videmus. Tua quoque eximia ac præſtans excitat me Virtus, CARDINALIS AMPLISSIME, quem cum idem Pontifex optimo judicio elegerit Imperii ac Voluntatis Adminiſtrum ſuæ, fecit, ut in hoc quaſi rerum humanarum theatro uberrimos, quos a Philoſophia habes, fructus palam explicare poſſis, & cum publica re communicare. Jam pridem edita ſunt a te hujuſmodi non otioſæ non umbratilis Philoſophiæ luculentiſſima in negotiis peragendis monumenta. Quis enim non cum ſumma admiratione præclariſſimorum quibus anteà perfunctus es, munerum recordetur? Cui non legationes ad exteras Nationes occurrant tuæ ita a te geſtæ, ut peracris conſilii, & ſingularis prudentiæ ſplendore oculos in te omnium ſubito converteris? Quid quod & ab univerſa, in qua poſtremo verſatus es, Provincia, & a quo eandem ſuſceperas, ſuperiore Pontifice, brevi tantam commendationem es conſecutus, ut virtutibus ille permotus tuis te diutius abeſſe non paſſus in Purpuratorum Principum Collegium meritiſſimo cooptatum non tam ad mercedem laborum atque ad honores percipiendos, quam ad nova obeunda

munera revocaverit, & Provincia ipſa cumulatiſſimo te comprobationis proſequens teſtimonio tam cito ereptum ſibi atque avulſum doluerit. Quanta deinde de te omnium ſpes expectatioque fuerit, & quam eidem abunde ſit a te ſatisfactum, illud argumento eſſe poteſt, quod cum maximarum rerum adminiſtrationes tibi tantæ ſint commiſſæ, ut ſingulæ virum & non inertem & induſtrium ſatis reddere poſſint occupatum, te nec opprimant nec perturbent univerſæ. Cumque novi tibi quotidie accedant ac cumulentur labores, a te, quaſi otioſus antea fueris, ita ſuſtinentur, ut nulli rei deſis, nihil non tractes ita, ut tractandum a te omnes Boni expectant maxime atque exoptant. Neque enim propter incredibilem mentis vim ac celeritatem ingenii ad tot nova etiam expedienda negotia tempus tibi deeſſe vel occupatiſſimo poteſt. Litteris quoque inter tot tantaſque, quę te diu noctuque diſtinent cogitationes, neſcio quid, aliquid tamen concedis temporis. Vetus illa quidem nonnullorum eſt opinio, falſa tamen ac contemnenda, otioſorum tantum hominum eſſe ac vulgarium tractare litteras, quas Principibus Viris in publicarum rerum procuratione verſantibus minus decoras eſſe putandum ſit. Falluntur profecto, qui hæc ita exiſtimant.

Com-

Compendiariam quandam esse viam per hæc studia ad virtutem ad laudem ad gloriam Optimus novit atque amplissimus quisque; cum præsertim bene provisum ante sit, ne quid privatis studiis de opera publica detrahatur. Quarum igitur vides indolem, amas Litteras ac foves, quæ & præsidia sibi & decora patrocinio tuo comparari gaudent. Domum videmus tuam lectissima instructam Bibliotheca, quam novis undique conquisitis voluminibus ornatiorem in dies atque ampliorem facis. Hinc eximios in omni doctrinarum genere fructus a te percipi norunt omnes, qui sermonibus aliquando tuis interfuerunt. Equidem ipse, cum primum te salutandi venerandique gratia adiissem, ad reliqua animi ornamenta tantum a te philosophiæ studium adjunctum esse comperi, quantum, qui te ignorarent, nunquam in tam occupata impeditaque vita esse posse arbitrarentur. Cum enim philosophari tibi mecum placuisset (quem Philosophum fortasse esse crederes, cum meum de Philosophia tibi librum obtulissem), tam gravibus verbis sententiisque tam apte & composite de obscuritate Naturæ rerumque caussis disserebas, ut nisi te magis aliæ Principe Viro dignæ extollerent atque efferrent Virtutes, inter illustriores ætatis hujusce Philosophos es-

se

fe te cenfendum non ambigerem. Mirifice te audiens in opinione confirmabar mea, nemini magis quam publicas res adminiftranti convenire Philofophiam. Hac igitur de caufa cum Liber hic meus effet iterum in lucem proditurus, tibi potiffimum Eminentiffime ac Doctiffime Princeps nuncupandum effe duxi. Utinam tanto muneri non omnino imparem, tuoque, cui infcribitur, Nomine non plane indignum Tu ipfe Judex optimus exiftimes; quod profecto facies, fi non rem, fed ftudium voluntatemque meam pro humanitate tua confideres. Ille fane, quantum in me virium facultatifque fuit, renovata opera mihi enitendum effe cenfui, ut emendatior quam ante & venuftior procederet: Novis præterea tum rationum tum experimentorum acceffionibus auctum effe volui. Quemadmodum enim Imperii fui fines magis profert Philofophia, atque excrefcit ipfa quotidie, fic & Libri hujus pomœria, ut ita dicam, dilatare mihi fas effe non dubitavi. Sed qualifcumque is eft, maximum illi certe a tuo Nomine decus accedet atque ornamentum; fi præterea favore eundem tuo, ut confido, ac benevolentia fueris profecutus, & ipfi ad fummam laudem nihil deerit, & mihi accidere in hac re optabilius nihil unquam aut gloriofius poterit. Vale.

CHRI-

CHRISTOPHORUS STAY BENEDICTO FRATRI SALUTEM.



HILOSOPHIÆ *Sex libros tuos quam libenter legerim*, BENEDICTE FRATER, *facilius tibi significare possum, quam in eo, quod a me postulas, morem gerere: cum enim ita tibi sim conjunctus, ut eadem, quæ ad te pertinent, mea quoque intersint, putem oportere me potius aliorum de te judicia expectare, quam affirmare quidpiam. Sed quoniam non me tanti esse novi, ut, si mea me fallat opinio, nimis sit pœnitendum, præsertim cum id mea in te benevolentia fiat, malui ab aliis fortasse reprehendi, quam a te obsequendi voluntatem desiderari. Itaque operæ pretium te fecisse existimo, quod Philosophiam versibus persecutus sis, rem nempe gravissimam scribendi genere jucundissimo. Vidisti profecto hujusmodi res, quæ ad utilitatem cæterorum scribuntur, tantum valere non posse, ut sine ulla delectationis spe homines invitent ad legendum. Quamvis enim rerum dignitas atque ipsius Veritatis pulchritudo nos per se satis trahere posset, si, prout a Natura quæ nobis veri cognoscendi cupiditatem ingenuit instituti sumus, ejus informationem studio atque exercitatione nostra excoleremus; tamen, quia specie rerum quas sensi-*

bus

bus percipimus ita implicamur, eisque inhæremus, ut erroribus corrupti optima Naturæ semina hebescere sinamus ac paulatim obliterari, fit, ut, cum animum ad discendum adjungimus, id ægre a nobis ac cum labore fieri experiamur: proinde ea studia, queis alitur animus, cito fastidimus ac repudiamus, nisi suavitate aliqua noster hic levetur atque imminuatur labor. Quapropter probanda mihi videtur veterum Philosophorum ratio, qui in Academiis ac lyceis satis ornate eleganterque disserendo ad audiendum excitabant homines tum loci tum sermonis jucunditate. Hujusm di instituto si stetissent ii, qui mox eas disciplinas professi sunt, minus inculta fortasse tandiu ea studia jacuissent: nosti enim, qualem iis speciem plerique quam inconditam quam asperam adhibuerint; & , quasi ea, quæ ipsi traderent, per se satis essent ampla atque illustria, nihil minus elaborarint, quam ut eadem non incompte dicerentur: quo pacto liberales animos a discendo averterunt, nedum invitarint, eo, ut opinor, decepti, quod cum solam dicendi venustatem rem esse levissimam putarent, eandem etiam gravibus sententiis doctrinæque adjunctam nihil afferre momenti arbitrati sunt. Quæ quidem docendi ratio Sapientium animis, qui rerum ipsarum atque ordinis pulchritudinem intelligunt, satisfacere fortasse poterat: at cum Philosophia hominum vitæ utilissima sit, ad universorum animos fuit accommodanda, resque gravissimæ, ut in omnium mentes facile influerent, cum hilaritate sermonis conjungendæ. Quid enim crebrius videmus,

quam

quam ea, quæ venuste atque eleganter mandantur litteris, in oculis omnium ac manibus esse? Quæ vero ex eo genere tam libenter legimus audimus atque ediscimus, quam quæ carminibus scripta sunt? Quod qui fieret, nisi Poetæ potissimum ex eorum artis instituto delectationem præseferrent? Sed ut illorum asperum atque austerum docendi genus improbamus, ita horum quoque inanes illecebras ac rerum gravitate destitutam suavitatem reprehendimus. Cum enim sit tanta artis hujus celebritas, qui eam ad voluptatem tantum detorquent, qui non ad res utiles atque graves convertunt, nonne eximiam opportunitatem juvandi negligere videntur, atque ad inanissimam consuetudinem ab optima institutione deflectere? Nam Veteres humanissimam artem non ad delectandum tantummodo (ut nunc ea abutimur) adhibuerunt; sed idcirco præclare invenerunt, ut, quæ maxime jucunditate traheret, eadem esset ad juvandum aptissima. Proinde seu Patriæ commodum seu cujusquam rei utilitas postularet, & in Rebuspublicis constituendis & in condendis legibus & in popularium animis ad fortitudinem excitandis eam præsertim usurpaverunt. Eo consilio ipsam etiam Philosophiam carminibus & coli cœptam & mox traditam quis ignorat? Scimus primos fuisse Poetas, qui a feritate atque agresti victu revocassent homines ad morum præcepta atque ad vitæ urbanioris cultum. Quæ res propter vetustatem etiam in errorem fabulæ traducta est; atque hinc fortasse nonnulli fuisse perhiben-

bibentur, qui sono testudinis atque cantu & feras mansuefacerent, & sa a in muros urbis congregarent. Sed ut hæc antiqua nimis omittamus, cum jam Græcia artium studiis maxime floreret, accepimus Parmenidem Xenophanem Empedoclem atque alios illius memoriæ complures Philosophiam versibus conscripsisse. An vero putas Pythagoreos tam facile ac tam brevi tempore Philosophiam per omnem Italiam ac eam præcipue Italiæ partem, quæ Græcia Magna dicta est, divulgaturos fuisse, nisi hunc morem in his tractandis disciplinis ipsi potissimum tenuissent; quos traditum est adjecisse carminibus fides etiam atque cantus? Quæ quidem præclare eorum rationi convenire poterant, quippe qui ab Harmonia & numeris omnia repeterent. Verum horum omnium nulla pene monumenta ob longinquitatem temporum ad nos transmissa sunt. Unius extat, atque ad nos usque dimanavit Lucretii venustissimum opus; cujus eo libentius mentionem facio, quod eum in scribendo secutus sis ipse. Quem Musarum etiam minime studiosum non ad legendum trahant ea, quæ ab ipso versibus sunt reddita? cui non illa antiquioris sermonis urbanitas mire placeat? Ab Epicuro & ab Epicureis quæ ante illum tradebantur, scimus propter incompositum dicendi genus non ab aliis fere, nisi qui ab eadem disciplina essent, legi solita: nunc eorumdem cognoscendorum cui non ea in dicendo venustas mirificam cupiditatem excitat? Verumtamen, quo magis hanc in

illo

illo præstantiam admiramur, accidit, ut eo molestius feramus tantam elegantiam tam absurdis sententiis adhibitam esse, & quæ optima erat ratio & præclare ad juvandum instituta, eam opinionibus nequissimis esse depravatam. Multa adhuc hoc loco afferre possem, quibus & res graves atque utiles jucunde atque ornate oportere conscribi probarem, teque ostenderem optimam in scribendo iniisse viam, quod Philosophiam carminibus tradideris, neque mihi, quibus id confirmarem, & exemplorum copia & probatorum Virorum auctoritas deesset: sed ut in re non necessaria diutius non moror. Venio ad Philosophiæ, quam pertractasti, genus. Ego cum hisce nostris temporibus Philosophiam a tot doctissimis Viris illustratam atque ornatam considero, cujus aptius quam Cartesii rationem versibus reddendam suscepisses, ex his omnibus video neminem. Nam etsi eorum etiam, qui post illum eandem excoluerunt, multa egregia quidem ac præclara sint inventa atque instituta; tamen si hæc potius reddere voluisses (quanquam nec interdictum tibi putas, ne horum etiam pleraque desumas, & nonnulla transferas ad ejus rationem, cujus e fontibus præcipue rem hauris) neque ea versibus convenissent, quippe quæ calculis ac Geometriæ rationibus nimis sunt impedita, neque, cum hi fere omnes Philosophiæ potius partem aliquam attigerint quam universam pertractarint, eadem satis esse potuissent Naturam rerum omnem persequenti. Quæ vero a Cartesio traduntur, & seriem

rerum

rerum omnem suppeditant, & nescio quomodo liberalius sunt dicta & versibus magis accommodata. Quid quod & Viri eximium ac singulare in Philosophiam meritum adjicere aliquid debuit, ut eum potissimum exornare velles. Fuit ille Princeps atque instaurator hujusmodi studiorum, atque e situ ac squalore in claritatem atque lucem has optimas disciplinas eduxit. Cujus quidem rei laudem nunquam tantopere percipio, quam cum Philosophiæ statum, qualis ante illum fuerit, recordor. Quæ enim fuit ab iis, qui tum temporis eam professi sunt, ratio adhibita in hac rerum universitate consideranda atque investiganda Naturæ? An Experientiam, qua maxime res geri potuit, excoluerunt? At nefas (opinor) putaverunt religiosi homines tentare atque scrutari Naturam; proinde experimentis omnino pepercerunt. In scholis potius detenti sunt, ut causas rerum, quas ignorarent, ipsi fingerent, & disputando ac differendo Naturæ opera intelligerent, quæ mehercule, nisi manibus contrectentur atque usurpentur oculis, nunquam cognoscuntur. Accedebat ad hæc Unius auctoritas, cui omnium animi obsequebantur. Erat hic velut positus Veri quærendi finis, ut quæ mens unius videre non potuisset, ea consequi jam se quisque desperaret. Proinde quid mirum, si effectum est his artibus, ut nihil tandiu procederent in rerum investigatione, imo ut paulatim obscurarent omnia & confunderent? Vidit enimvero Vir doctissimus patere latius Naturæ amplitudi-

plitudinem, quam ut eam unius mens omnem capere posset; proinde hujusmodi circumscriptos rationi fines repudiavit, sustulit, abjecit: eam autem iniit Veri quærendi viam, quæ Naturam ipsam quodammodo propius oculis admoveret; Geometriam enim & ducem ac magistram rerum Experientiam velut duo lumina Philosophiæ adjunxit. Quarum beneficio & ille auxit eam disciplinam tot præstantissimis repertis, & aliorum deinde opera ac studiis eo crevit eadem atque processit, ut nunc tandem illud merito quis usurpaverit, quod a Platone dici solitum accepimus, se Diis maximas habere gratias, quod eum vivere fecissent, quando Philosophia potissimum vigeret. Etenim brevi tempore fere una hæc ætas nostra plura vidit, quam antea multarum ætatum serie cognita fuerint. Quæ ego omnia si uni eidemque Cartesio accepta refero, non temere id mihi quidem videor facere. Ut enim solemus, quidquid terrarum in orbis circumnavigatione aliorum industria ac labore compertum est, eis tribuere, qui primi incredibili ausu Oceanum prætergressi novas terras ac regiones compererunt; eodem jure arbitror, quidquid in Philosophia aliorum opera mox cognovimus, eum sibi vindicare posse, qui veri inquirendi aperuit viam cæteris, & facem prætulit. Plura de Cartesio libenter dicerem, si aut ulla ejus laudibus per me fieri posset accessio, aut non vererer, ne, si uberius de illo dicerem, viderer idcirco id facere, ut amplior inde pars laudis tanquam cum illo communicatæ tibi redun-


b dare

dare possit. Nam ego quidem semper duxi non exiguum esse meritum eorum, qui, quæ ab aliis sapienter sunt inventa, ita reddere possint, ut in communem usum ea derivent; & si utilitate rem metiamur, eos fere æque ac doctrinæ Auctores ipsos benemereri de bonis artibus. Sed horum qualiscumque sit laus (neque enim quidquam affirmare ausim, ne tua causa facere videar), eam quidem omnem eximie ac singulariter a te comparatam esse existimo. Tanquam enim ex adytis Philosophiæ ad omnium utilitatem optimas disciplinas eduxisti. Nam cum in tanta luce res obscuriores collocaveris, severioribus tantam elegantiam conciliaveris; ea, quæ tantummodo mentibus eorum, qui gravioribus studiis detineri solent, hactenus erant reservata, transtulisti etiam ad minus eruditorum cognitionem. Atque hic equidem non fateri non possum me nunquam arbitratum esse res tam impeditas tamque difficiles tam aperte ac dilucide dici potuisse. Quæ enim in soluta oratione, atque ubi verborum quæ rebus accommodata sint in promtu est copia, non satis commode ac vix clare dicuntur, eadem & carminibus & breviter atque ita perspicue sunt a te reddita, ut non ab iis, qui rem fuse ac copiose agunt, plura desideres. Hujusmodi esse censeo, quæcumque de Metaphysicis rebus libro primo tradita sunt: ubi, quidquid de Mente hominis, quidquid de Divinæ Naturæ atque aliarum rerum informatis atque innatis notionibus dici solent, satis explanate describis. Quæ vero altero libro de universa Mundi dispositione, quæ exinde de doctri-

na

na Vorticum, quæ de rebus Opticis dicuntur, ita sane dicuntur, ut, quo quæque res est obscurior, eo facilius nescio quomodo atque apertius explicetur. Quid quód non eædem res a te solum dilucide, sed venuste etiam ac satis splendide sunt dictæ. Etsi enim non ambitiose res excolantur, neque temere positi apparatus redundent; inest tamen suus rei cuique cultus atque adbibitus comis quidam ac simplex decor, ut facile Lucretii rationem in scribendo assecutum te esse quis possit agnoscere. Elucent vero aliquando inter doctrinam ac severiores sententias apte positi quidam hilariores atque amœniores ornatus, qui videntur animum reficere & reddere ad cætera cognoscenda alacriorem. Ex quibus ego rebus omnibus, si quid animi mei conjectura prospicere possum, non dubitem, quin eam, quæ Scriptoribus a frequentia legentium præcipua proficiscitur commendatio, facillime sis ipse consecuturus: cum enim gravissimæ disciplinæ venustatem adjunxeris, arbitror fore, ut eos, qui hisce rebus non tenentur, si minus rerum ipsarum dignitas atque utilitas, ipsa certe jucunditas trahat: ii vero, qui versari in his doctrinis solent, fortasse a severioribus studiis ad hæc hilariora non gravate animum traducent. Quod cum abunde satis, ut auguror, successerit, velim, ut non hanc præteritorum tibi studiorum mercedem tanquam ac metam constitutam existimes, sed proposito veluti præmio ad novos te cursus excitari putes, & si me auctore ad quidpiam non ægre te conferas, potissimum suadeam, ut quoniam exoratus jam est Apol-

lo, præsentesque sint Musæ, continuo earum favore uti pergens in aliud hujusmodi argumentum laborem impendere non abnuas, & Nevvtonianam etiam Philosophiam ad Musarum modos transferre aggrediaris. Novi equidem & quanta sit operis difficultas, & quam pene sit desperandum ea versibus assequi posse, quæ nonnisi Mathematicorum sermone expediri videmus; sed facit, ut te horter ipsamet rei tam arduæ præstantia ac magnitudo; & ex eo, quod hactenus in quamplurimis fere æque difficilibus præstitisti, conjiciens, idem etiam in hoc præstare te posse confido. Ne tamen imparati ad rem veniant, qui hæc legent, atque ut omnium rerum seriem non explicatam (secus enim commentario opus esset) sed indicatam prævideant, Argumenta ad singulos libros tuos scribere volui; ex quo appareat, me, & si valde mea opera te juvare non potuerim, omnino tamen tibi deesse noluisse. Vale.



LIBRI PRIMI

ARGUMENTUM.



AD Naturam rerum explicandam accedens auſpicatur Opus ab invocatione Divinæ SAPIENTIÆ, per quam, quidquid eſt, factum ordinatumque eſt: pergit deinde nuncupare libros ſuos Nobilibus atque Eruditis Viris, quibuſcum ſibi eorumdem ſtudiorum conſuetudo intercedebat: in quotidianis enim congreſſionibus ſimul Mathematicis & Philoſophicis diſciplinis operam dabant: quin, ut fatetur ipſe, illi iidem auctores ei fuerunt, ut hanc ſibi conſcribendæ verſibus Philoſophiæ provinciam ſumeret. A verſu 72 ad verſum 106. totius Operis Argumentum breviter proponit; & Carteſium, cujus rationes ſequitur, laudat. Tum rem ipſam aggreſſus, antequam aliquid certi in Philoſophia ſtatuatur, de rebus omnibus dubitationem inſtituit: ut ita Mentem ab erroribus & præjudicatis opinionibus, quæ vel ob ætatis imbecillitatem vel ob temeritatem in judicando atque alia hujuſmodi obrepſerunt, purgemus. Mox ad comparandam rerum cognitionem veniens ea propoſita Veri quærendi via, ut a notis ad ignota procedatur, a verſu 353. hoc ſibi certum indubitatumque primo occurrere ait: Ego cogito, ergo ſum; & quoniam non alia de cauſa ſibi manifeſtum id eſſe videt, quam quod claram ejus & diſtinctam perceptionem habet, quidquid clare diſtincteque percipitur, verum eſſe agnoſcit, omnium proin certiſſimarum cognitionum principium eſſe hujuſmodi claram diſtinctamque perceptionem. Summæ perfectæque Naturæ notitiam ineſſe menti & eandem a nobis clare percipi docet a verſ. 420. deducit inde hanc excellentem Naturam Deum eſſe, proinde ipſum exiſtere, Unum eſſe, ſine partibus, Immutabilem, cui denique ſumma ſint omnia, quæcumque ipſi attribui neceſſe eſt. A verſu 657. Corporum exiſtentiam probat ex eo, quod eorum ſpeciebus afficitur Animus; propterea ſuum Animum alligatum eſſe uni corpori, in qua conjunctione Hominis naturam poſitam eſſe affirmat; præter ſe alios etiam eſſe Homines ex eorum cogitationibus nobiſcum in ſermone communicatis deducit. Mundum creatum eſſe a Deo, cui uni per ſe eſſe convenit, ab eoque ſervari atque adminiſtrari demonſtrat a verſu 829. pravaſque de Natura, Fortuna, & Fato opiniones tollit, eoſque arguit, qui a rerum gubernatione Deum amovent: quos refellens ad Animorum im-

mortalitatem demonſtrandam deducitur a verſu 1194. Cum enim Animi naturam in cogitatione ſitam eſſe, Corporis vero in extenſione probet, ex ejuſdem Corporis diſſolutione Animum, qui ſimplex ſit, diſſolvi atque interire non poſſe concludit; aliiſque id argumentis confirmat ad verſum 1349. Deinde reſpondet iis, qui ſibi objicere poſſint, Animum pro varia corporis affectione varie affici, proinde illius interitu interiturum: explicat Legem conjunctionis inter Animum & Corpus, qua, quomodo altero affecto alterum affici oporteat, ſancitum ſit; ubi & Leibnizii Harmoniam præſtabilitam exponit ac rejicit; dataque opportunitate in ejuſdem Entia, ut vocat, ſimplicia, atque in alia breviter digreditur. Infert a verſu 1513. quaſdam in nobis affectiones & ad Animum & ad Corpus pertinere, ut ſunt præſertim eæ, quæ a ſenſibus proficiſcuntur: Corpus nempe in iis tantum moveri, Animum percipere. Propria vero eſſe Animi velle atque intelligere, amare ſummum Bonum neceſſario atque expetere, contra ſummum malum odio habere atque averſari; ad cætera, quæ media ſunt, vel expetenda vel fugienda liberum eſſe ſuoque arbitratu moveri; innatas ei quoque eſse plurimarum rerum notiones; per has Deum a nobis cognoſci, non comprehendi; Corpori nos deditos hebetiores ad illum cognoſcendum reddi. Poſtremo culpa primorum Parentum nos eſse corruptos corporique nimis addictos deflet, ſtatumque eorum, ante quam a Deo deſciviſsent, deſcribit.

LIBRI SECUNDI

A R G U M E N T U M.




IHIL Homini jucundius eſse ait, quam in cæleſtium rerum contemplatione verſari. De Mundi diſpoſitione ſe acturum pollicitus præmittit explicationem naturæ corporis, quæ in hoc ſita eſt, ut in longum latum & profundum extendatur; proinde & ſpatium, cui triplex ſemper hujuſmodi dimenſio convenit, a corpore non differre aſserit: quamobrem vacuum omne a rebus excludit. Quo pacto res in Pleno moveri poſſint, explicat; ubi & corpora ſine ullo termino ſecari poſse oſtendit. A Verſu 270. agit de motu, cujus quantitatem ſemper eandem in rebus ſervari probat. Naturæ Leges quibus moventur corpora conſiderat: harum Primam ait eſse, Corpus in illo ſemper ſtatu, in quo ſemel poſitum ſit, per-

permanere, donec ab externa causa ab eo removeatur: Alteram, Corpus, dum movetur, recta linea moveri oportere, nisi occursu aliorum corporum deflectatur: Tertiam demum, Corpus, dum in alterum incidit, tantum motus illi impertiri, quantum de suo amittit. His præmissis a Vers. 418. ad Siderum cursus explicandos venit; eorum magnitudines primo considerat; deinde intervalla atque ordinem, quo inter se locata sunt. Siderum inerrantium distantias nos metiri non posse ostendit: hæc æque ac Solem propria luce, Lunam vero cæterosque Planetas aliena fulgere: Terram quoque receptos a Sole radios reflectere. A versu 574. quo discrimine fixæ ab errantibus stellis distinguantur, pronunciat; quæque aptior ratio sit ad harum motus explicandos proponens inquirere ad Copernicanum Systema delabitur. Docet Solem fixum immotumque esse, vi vero sua cæli partes, quas fluidas ait, circa se rotare; proinde innatantes hoc fluenti æthere Planetas circumagi; Terram quoque eodem impetu raptam ferri. Viciniores Soli partes celerius, remotiores vero tardius, ut in vorticibus fit, moveri; propterea, ut quique ei propior Planetarum est, citius orbes suos peragere. Saturno quoque Jovi ac Terræ suam vim suosque peculiares vortices esse; illum quinque Satellites, Jovem vero quatuor obire: medium quoque Saturnum orbe quodam suspenso circum tanquam annulo cinctum conspici: Lunam demum a Terræ vortice raptari. Reliquis item Planetis suos esse posse Satellites, imo & fixis Sideribus suos Planetas suspicatur. Postremo Terræ, præter motum quo circa Solem agitur, inesse etiam alterum, quo ipsa circa se vertitur; illo Annum, hoc Diem fieri. A vers. 783. varias lucis & figuræ mutationes in Luna explicat. Tum ut Lunæ & Solis defectus demonstret, annuum Terræ circa Solem motæ cursum per duodecim Eclipticæ signa describit. Orbem, quem Luna suo motu conficit, ab Eclipticæ via varie hinc atque inde declinare ostendit, proinde ab hoc orbe Eclipticam intersecari in duobus punctis, qui vocantur Nodi. Fit itaque Lunæ defectus, cum ea e regione Solis in Nodo vel prope Nodum versatur, Terra interposita umbram in eam projiciente: Sol vero deficit, cum Luna item in Nodo radios ejus interjecta nobis intercipit. Ab ignorantia hujusmodi causarum proficisci superstitiosas & pravas de rebus opiniones, pluribus exemplis docet. Umbram Terræ, cum minor hæc sit Sole, progrediendo usque minui, neque ad Martem pervenire posse: tandem Solem interjectu Lunæ non omnibus Terræ partibus obscurari; contra Lunam omnibus æque inconspicuam in defectu reddi ad vers. 972. differit. Deinde ad Axem Eclipticæ inclinari Axem Terræ; atque hunc semper sibi parallelum esse, ubicumque loci Terra sit; inde varias anni tempestates fieri explicat. A vers. 1085. ex diurno Ter-

ræ in Ortum motu Sidera converti in Occasum nobis apparere: Martem viciniorem interdum Sole, interdum remotiorem: Venerem quoque & Mercurium nunc citeriorem, nunc ulteriorem esse. His subjungitur directionum stationum & regressionum Planetarum ad vers. 1157. explicatio. Tum non obstare diurno Terræ motui lapsus corporum deorsum recta, ut apparet, cadentium, neque ejusdem motui annuo officere Siderum inerrantium inter se & respectu Terræ non mutatos situs ostenditur. Versibus, qui a 1237. sequuntur, descriptiones Siderum fixorum continentur. Hoc loco refelluntur ii, qui ab aspectu Siderum futura prædicunt. Viam Lacteam ex confertissimarum stellarum multitudine confici ait. Fixa Sidera videri inæqualia propter inæqualem eorum a nobis distantiam; eaque primæ Magnitudinis esse, quæ nobis viciniora sunt; & totidem fere Solis verticem circumdare, quot æquales globi medium globum circumtangere possunt: his ordinem siderum secundi Honoris superaddi, atque ita deinceps ad vers. 1420. A cælestium rerum contemplatione ad Terræ figuram explicandam devenit; illam rotundam esse, & ex ejus umbra in disco Lunæ, cum hæc deficit, observata, & ex siderum elevatione & depressione pro vario regionum situ, & ex aliis hujusmodi argumentis pronunciat. Non decernit vero, an sphærica prorsus sit, an ad sphæroidis potius longæ vel latæ figuram accedat. Tum Terræ in quinque Zonas divisionem peragit: inter Periœcos Antœcos & Antipodas discrimina explicat. Demum a vers. 1575. Terræ totius partitionem, & regionum ac marium descriptionem ad finem usque persequitur.

LIBRI TERTII

ARGUMENTUM.



GALLIAM ob multa laudat, ob id vero præsertim, quod ea Cartesium tulerit, cujus etiam laudes ad Vers. 63. persequitur. Post descriptam in libro superiori Mundi hujus dispositionem, causas ejus & principia se traditurum in hoc promittit: & quamvis exortum Mundi nulla primordia antecesserint, cum a Deo is statim perfecte atque absolute conditus fuerit; tamen permagni referre ait, quibus a primordiis proditurus fuisset, ut omnia, quæ in eo nunc fiunt, rite peragantur, exquirere. A versu 132. igitur hæc habet: Materies omnis, ex qua hæc rerum universitas componi-

ponitur, fuit initio divisa in innumerabiles particulas, quæ & seorsum circa se ipsas & simul circa puncta quædam motæ fuerunt; unde tot Vortices, quot erant ea puncta, effecti. Rotatu particularum circa se ipsas angulos atteri, easque in sphærularum figuras reduci oportuit: quod vero vacaret inter globos, id particulas attritu excisas replere. Jam duo hinc Elementa rerum suppetunt: Primum, minutiores illæ ex attritu angulorum Partes: Alterum, ipsi Globi. Tertium quoque crassius minusque motui accommodatum debere constare ex eo deducit, quod tria corporum genera in rebus animadvertimus, lucida nempe, pellucida, & opaca. Ubi primi Elementi copia repletis Pilarum intervallis superavit, hanc redundantem in axem Vorticis compelli ac cogi necesse fuit a secundi Elementi particulis; quæ, cum in gyrum moveantur, majorem vim a medio Vortice recedendi habent; non recedunt tamen, cum superiores semper impedimento sint inferioribus: in quo particularum effugere contendentium nisu naturam lucis ait esse positam. Tum a Vers. 210. declarat unius Vorticis polum contigui Vorticis Eclipticæ obversum esse; proinde primi Elementi materies elabens (potest enim ea per sphærularum intervalla exitus sibi viam reperire) per unius Eclipticam in alterius polos influit. Ea, ubi per polum utrumque largius immissa in medium confluit, subito occursu moveri simul celeriter & rotari debet; hinc Astrum in centro gignitur: nonnunquam vero neque id in axis medio fieri, neque in ipso axe perstare demonstratur; hinc Excentricos circa Astrum orbes a Vorticis materie ipsique innatantibus Planetis confici: fors id etiam a Vorticum figura pendere ad ellipticam accedente propter aliorum inæqualem Vorticum ad latera compressionem. Porro proximiores centro particulas ab Astri vi celerius remotioribus moveri, ideoque minoris eas esse molis oportet; secus enim longius recederent. Hæc molis & celeritatis ratio ad finem usque Vorticis non perseverat; ibi enim extremas ocyus paulo inferioribus moveri, & utrasque æquali mole constare ostendit. Deinde a Vers. 337. Tertii Elementi naturam explicare pergens hanc confici docet ex primi Elementi particulis inter se complicatis, atque in crassiorem excrescentibus molem, quæ per globorum intervalla transiens in Striæ figuram conformatur. Iners ea materies in polos redigitur; inde per axem in Astrum pervenit, eique maculas offundit. Hæ idcirco in Sole observantur: atque ex earum Soli inhærentium conversione Solem quoque circa se converti deducitur. Hujusmodi maculas diu non permanere, sed alias absumi, alias rursus generari videmus; hinc fit, ut Solis lux interdum valde imminuatur, & nonnulla fixa sidera aliquando nobis prorsus obtegantur, aliquando & nova appareant. Striata hujusmodi materies non sem-

per Soli inhæret, sed ejus vi sæpe rejecta & dispersa longius procurrit, eique, ut Terræ aer, circumfunditur. Hæc ad vers. 551. Si quando vero ea crassior materies Astrum densissime circumtexerit, & ejus Vorticis motus elanguescet, & a fortiori vi finitimi Vorticis una cum Astro abripietur: hinc Cometam esse ait, cum abreptum hoc Astrum ita compactum est, ut vim habeat ex alio Vortice in alium elabendi. Multorum hoc loco de Cometis sententiæ referuntur ad vers. 733. Quod si minus solidis contextum sit maculis Astrum, ut in alio Vortice alicubi cum ejus circumfluente materia libretur, hoc Planetam esse stato circuitu permeantem asserit. Hæc est Planetarum nostri Vorticis origo. Quoniam vero in Planetis & Cometis inclusum sub macularum crustis primum Elementum agitatur adhuc, & torquetur, hi quoque circa se agi debent, & converti: hinc diurna Terræ circa se conversio: Lunam quoque semel circa se revolvi, dum periodum peragit suam, observari ait. Terræ vero axis ad Eclipticam idcirco inclinatur, quia directionem sui eandem conservat, quæ illi fuit, ante quam Tellus a Solis absorberetur Vortice. Demum errorum, qui in Planetis & præsertim in Luna servantur, rationem reddit. A vers. 946. de corporum Gravitate agit, cujus causam repetit a globulis secundi Elementi a centro motus, quod idem Terræ centrum est, recedere nitentibus, & cætera corpora deorsum renovato semper impulsu trudentibus: idcirco enim ea lapsus suos per quadrata temporum accelerant: imo & Terræ rotunda figura prodit ab hujusmodi particulis eam circumundique prementibus. Gravitatem corporibus minorem sub Æquatore, quam sub Polis esse a celeriori in his, in illo tardiori Pendulorum motu deprehendi ait; idque ea de causa fieri, quod sub Æquatore major terrestrium corporum ex diurna Terræ conversione motus plus gravitatis detrahat, quam sub Polis. Tum a vers. 1077. cur corpora alia aquis innatent, alia iis submergantur, demonstrat; & motus piscium sursum deorsumque explicat. Corpora tantum sub aquis amittere ponderis, ait, quantum par aquæ moles habet gravitatis: hinc diversam in variis liquoribus gravitatem itemque in solidis corporibus deprehendi posse. Demum Vectis exemplo corpora valde gravia facile moveri ad Vers. 1214. ostenditur. Nunc ad Magnetis vim explicandam transiens hæc habet: quoniam ab uno Terræ polo in alterum striata materies perpetuo fluit, eadem per Magnetis corpus viam sibi accommodatam facile invenit; idque pervadendo ad polum suo cursu dirigit; quin imo egrediendo & regrediendo parvum vorticem circa idem, ut circa Terram, conficit. Hinc infertur, cur Magnes a Magnete, ut varie alter alteri obversus est, nunc trahatur, nunc rejiciatur. Porro si ferrum Magneti admoveatur, ab hoc fluens materia

in

In illo sibi meatus construit: unde & ferrum a Magnete tactum in Polum convertitur, & cum juxta situm est, ab illo trahitur. Hoc loco aliorum etiam corporum vim Electricam explicat. Quæ omnia ad versum 1615. persequitur. Jam ex supra constitutis principiis manant variæ corporum affectiones: Calor ex perturbata particularum corporis, quas primi vis Elementi commovit, agitatione proficiscitur; contra frigus vel a quiete particularum vel ab earum recto motu repetendum est. Tum a versu 1741. unde corpora alia humida & liquentia sint, alia dura, quædam vero pellucida, quædam opaca fuse declarat. Postremo corpora a corporibus non alio docet differre, quam diversa partium, quibus componuntur, dispositione. Sub finem digrediens Metalla in præposteros usus converti damnat, & nimiam hominum in conquirendis divitiis anxietatem redarguit.

LIBRI QUARTI

ARGUMENTUM.



SE jam medii Operis labore perfunctum cogitatione eorum, quæ adhuc pertractanda restant, ait animum despondere; recreari tamen officii sui erga nobiles Viros, quibus hæc nuncupat, recordatione, iisque placendi studio excitari. Protinus, ut aquæ aeris & ignis, de quibus hoc libro acturus est, utilitates commemoravit, singillatim eorum naturam explicare a Ver. 84. aggreditur. Aquam igitur docet lævibus oblongis ac flexibilibus particulis constare; proinde facile fluere, & madefacere corpora, & in vapores resolvi, tum in planitiem se componere, & æque undique librari. Porro a vers. 180. cur Maris aqua salibus corrupta sit, inquirit; & cur eadem fluat ac refluat, hanc affert explicationem: ut in fluminum alveis, ubi a pontium mole coarctantur, undæ celerius effluunt; sic in Terræ Vortice, ubi Luna suo corpore iter fluenti ætheris materiæ arctavit, ea materies majori vi connitens per impeditiorem viam subjectas Oceani aquas premit, simulque Terram paulum illa impressione repellit: hinc in oppositis Terræ partibus fluere Maria necesse est, refluere vero, cum Luna ab illo loco digreditur. Et quoniam Orbis Vorticis Terræ ellipticus est, cum Luna in graciliore ejus parte (quod in Oppositionibus & in Conjunctionibus fit) versatur, arctam per se viam magis obstruens solito majores Æstus efficit, præsertim

fertim in Æquinoctiis directiore vi Solis accedente. Æstus hujusmodi maxime sub proximis Æquatori locis, qua Lunæ est via, contingunt; & quo quæque magis ab illo distant Maria, minus agitari oportet. A vers. 298. tres affert de Fontium origine Philosophorum sententias; primam, quam refellit, eorum, qui maris aquam terræ insinuatam, ejusque purgatam meatibus in Fontes derivant; alteram afferentium eandem maris aquam in cavos terræ sinus illapsam ejus calore in vapores resolvi, qui post relictis salibus in guttas revertuntur, & manant in Fontes; tertiam, quæ pluviis & solutis nivibus Fontium originem refert: huic potissimum assentitur, eamque plurimis probat argumentis. His subjungitur a vers. 543. Nubium Pluviarum Nivis Grandinis & Roris explicatio. Aërem, de quo a vers. 726. pergit dicere, tenuibus quibusdam & flexibilibns filis ait componi: hinc fluidum esse, &, si comprimatur, conniti, ut se restituat, ac dilatet. Hujusmodi Elastica vis in aliis etiam corporibus explicatur: hoc loco Sclopetum, ut vocant, Pneumaticum, & Boyli machina describitur, & pleraque eorum, quæ in ea ad probandam vim aëris experimenta fiunt, afferuntur. A vers. 919. Aëri quoque gravitatem inesse suam probat ex aqua in tubis suspensa, & ab illo extra premente sustentata; idque ad vers. 994. Mox de Ventis agit: illos ipsum Aërem fluentem esse, eumque fluere, cum vel a Solis calore, vel a vaporibus agitatur, ostendit. Ventorum nomina & plagas designat; & cur quidam certis locis statisque temporibus flent, atque alia hujusmodi ad Vers. 1244. demonstrat. Reliquum jam est, ut Ignis natura declaretur: hanc sitam esse docet in celeri ac perturbato primi Elementi motu corporum particulas dissolventis & abripientis: facile porro explicatur, cur affusa aqua Calx ferveat, & cur silex chalybe & ligna lignis percussa scintillas emittant. Præterea Ignem a Solis radiis vitrea lente aut speculo concavo collectis excitari asserit. Tum a Vers. 1401. Pulveris pyrii compositionem ejusque, cum accenditur, vires persequitur. Ab hoc propter similitudinem pertransit ad Tonitru Fulguris & Fulminis causas exquirendas, in quibus ad Vers. 1538. immoratur. Hæc excipit Ignium, quos vocant Fatuos, atque hujusmodi aliorum explicatio. A Vers. 1564. ad Vers. 1624. Aurora Borealis describitur, ejusque causa repetitur a Solis atmosphæra, quæ ubi longius procurrens Terræ Vorticem contingit, ab ejus correpta impetu in polos projicitur, ubi a Sole collustrata apparet. Demum Ignes sub terra produci ait; hinc a plerisque montibus flammas eructari, & terram persæpe tremere deducit; variosque terræ Tremoris effectus enumerat; quibus subjungit casus Patriæ suæ a terræ motu subversæ anno CIƆ IƆ CLXVII. VIII. Id. Apr. non inelegantem descriptionem.

L I-

LIBRI QUINTI
ARGUMENTUM.



Um Divina Mens in rebus omnibus, quas condidit, eluceat, atque animo conspici a nobis possit, nihil tamen ait magis, quam Hominem claram atque expressam ejus imaginem exhibere. Toto itaque hoc libro Hominis naturam consideraturus jam ab ejus generatione atque exortu incipit: idque a vers. *65*. ad *116*. Tum Animam in cerebro locat, unde per totum corpus nervorum propagines diffunduntur, per quos ipsa corpus impellit ac movet, & externarum rerum admonetur. Accedunt & spiritus, quos Animales vocant, qui de purgatiori sanguine effecti totum corpus pervadunt celeriter, ac mobilitant, rerumque species in cerebrum deferunt, in eoque imprimunt. Ab horum spirituum varietate, & diversa cerebri fibrarum constitutione diversi sunt Hominum mores & ingenia; unde & singulæ ætates Hominis inter se præcipue differunt. A vers. 248. præteritorum nos reminisci docet propter spirituum excursum, per impressa rerum in cerebro vestigia; itemque a sæpe repetito eorum per nervos transitu agendi aliquid facilitatem a nobis acquiri: ubi de labrorum ac linguæ ad loquendum & de nervorum ac musculorum ad progrediendum apto motu differit. A versu 345. vigilare nos ait, cum spirituum copia nervos omnes intendens sensus ad res percipiendas excitat; iisdem deficientibus delassari & sommo corripi; somniare vero ob eorum incertum perturbatumque per cerebrum motum; ab illis quoque capitis morbos, vertigines, virium defectum, atque insaniam sæpe oriri ad vers. 450. docet. Famem deinde & sitim & ciborum in stomacho concoctionem, &, quo pacto corporis partes nutriantur, explicat; ac circuitionem sanguinis describit. Ad sensus delapsus a vers. 520. ad vers. *621*. disputat, nobis eos a Natura datos esse non ad veritates rerum cognoscendas, sed ad tuendum conservandumque corpus (facile enim & compendiaria quadam via de rebus, quæ vel obesse vel prodesse possint, nos admonent). Tum de iis seorsum acturus, primo Tactum, qui per totum corpus diffunditur, progigni docet in extima cute, a qua motus per nervos ad ipsius Animæ sedem defertur. Affert hoc loco doloris & voluptatis discrimen, & hujusmodi alia. A vers. 704. ad 748. Gustum præcipue in linguæ fibris collocat, variasque saporum species enumerat. Porro ad Olfactum transiens agit

de

de Odoribus, qui vel in perpetuo particularum certis e corporibus effluxu, vel in varia aëris eorum meatus pervadentis dispositione consistunt. Cum igitur interiorem narium membranam illi percellunt, propagatus ad cerebrum usque hujusmodi motus convenientem in Anima sensum excitat. A vers. 796. sonum qui Auditus fibras percutit, nihil aliud esse, quam celeres aëris fremitus probat. Ejus reflexione ac repulsu Echo & vocalem Tubam explicat. Lentiore hujusmodi fremitu sonum ait fieri graviorem, eodem frequentiore acutiorem; ex utroque autem convenienter inter se permixto fieri Harmoniam; ubi & rationem reddit, cur de duabus chordis æqualibus & æque tensis, percussa altera, altera pariter exultet, & sonum edat. Tum observari docet sonum sive tenuior sit sive fortior, sive feratur secundis sive adversis ventis, æquali semper tempore per æquale prope spatium propagari, & velocitatem ejus vix quidquam progrediendo imminui: Hinc ad eorum corporum, quæ sonum pariter cum fulgore reddunt, cognoscendam a nobis distantiam ducimur. Quod jam superest, Visus naturam explicaturus a vers. 1098. varias lucis affectiones considerat; cujusmodi est ejus reflexio & refractio. Ob refractionis radiorum rationem & remus sub undis videtur fractus, & sidera suos exortus anticipare, obitusque postponere; neque illa eo, quo apparent, loci revera sunt: tum convexis transmissi radii vitris colliguntur, concavis disperguntur. Per reflexionem vero res in speculo repræsentantur, in eoque tantum ultra, quantum sunt citra, videntur. Inde quoque oriuntur Colores: candida apparent enim corpora, quæ omnes in omnem partem radios reflectunt; nigra contra, quæ paucissimos: & cum lucis elementa a corporibus reflexa pro varia eorum superficie varie circa se rotentur, & moveantur, variis corpora perfundi Coloribus necesse est. Hic Newtoni quoque de Coloribus rationem breviter declarat. Post quædam de Iride, nonnulla de Halonibus, & de Pareliis ad vers. 1430. habet. His explicatis de Oculi structura agit. In intima ejus membrana, quam Retinam vocant, res exteriores ait pingi, atque exprimi, velut pinguntur in obseratæ domus interiore pariete, vel in objecta charta radiis per lentem vitream transmissis: ea figura per nervum Opticum cerebrum Animæ sedem concuti, Animamque percipere. Porro cognosces, cur quidam, præsertim Senes, propiora minus distincte videant, nonnulli contra remotiora: & quo pacto rerum, quas tuemur, distantias percipiamus; & pro variis distantiis quare varia nobis eorum magnitudo figura & motus videatur; & cur duobus oculis singulæ res non duplices appareant. A vers. 1784. Affectuum originem tradens, Admirationis, Amoris, Odii, Desiderii, Tristitiæ, & Gaudii naturam atque effectus describit.

Postre-

Postremo dissolvi oportere Hominum corpora ex ipsa eorum constitutione deducit, omnibusque proinde obeundum esse.


LIBRI SEXTI

ARGUMENTUM.



ATURA rerum hactenus explicata ad Morum doctrinam transit; atque ut in re maxime necessaria, & quæ magis nostra referat, quam omnium extra positarum rerum cognitio, SAPIENTIAM iterum invocat Justitiæ ac Legum Magistram. Deinde a versu 26. ad 465. hæc habet. Nobis, ne vagi atque incerti in rebus temere circumferamur, necesse est esse a Deo propositum & constitutum aliquem ultimum bonorum Finem, ad quem nostra omnia referamus, quemque unum ex omnibus expetamus. Hujusmodi summi Boni desiderium experimur esse ita nobis insitum, ut ab ejus quærendi studio averti & cessare nequeamus. Videmus vero erroribus variis plerosque decipi: aliis Divitias fraudi esse, quibusdam Honores, nonnullis Potentiam, plerisque Gloriam, multis Voluptatem; quod hujusmodi rebus, quas quique concupiscunt, adeptis se beatos fore putent. Ita fit, ut in quærendo Bono illusi a recto tramite deflectant, cum in rebus non summis summum Bonum collocent, idemque natura sua simplex atque unum sejungant quodammodo ac dividant. Igitur cum in hisce rebus illud a nobis inveniri non possit, oportet Deum ipsum ultimum esse Bonorum Finem, & eum se nobis unum expetendum proposuisse; cujus cum infinita Natura sit, eadem explere nostrorum animorum desiderium potest. Sed in hoc mortalis vitæ cursu optare tantum Bonum ac sperare possumus, id plene assequi, in eoque acquiescere non valemus: interim tamen relicta nobis hic est quædam etsi non perfecta Beatitudo, quæ in sana mente ac tranquilla sita est. His latius explicatis, nostrorum Actuum, quos ad ultimum Finem dirigere nos oportet, naturam ad vers. 572. considerat; tum Regulam, ac normam, ad quam eos componere debemus, ait esse æternam supremæ Rationis Legem, a qua Naturæ Lex manavit: præcipuum hujus Legis scitum esse, ut Deum ipsum amemus, eique omnia referamus: Ab hujusmodi præscripto recedere plerosque, qui decepti sensibus inhærescunt, ac fruuntur rebus, quæ nobis ad usum vitæ tantummodo datæ sunt. A vers. 728.

docet



LIBER PRIMUS.



Errarum Cælique potens atque uberis alma
Naturæ Genitrix, magnum, SAPIENTIA,
Numen;
Quam Pater haud ævo nec majeſtate ſecundam
Edidit æterna fœcundæ in imagine mentis
Progeniem; per te cauſæ & ſua ſemina rebus
Seminibuſque ſuus vigor & vis indita vitæ:
Tu Dea, tu pulchri Ratio ordinis, omnia nectis
Menſuris elementa ſuis, numeriſque revincis.
Terra tibi fœtus, tibi debent ſidera lucem:
Tu facis, ut caleant ignes, tu cærula ponti
Diffundis, cælumque levi circumtegis aura:
Et facis, ut certo volvantur tempora curſu
Per motus diſtincta ſuos, vicibuſque recurrant.
Mentibus humanis tu certa & ſumma voluptas:
Nam ſimul atque tuum longe ſplendeſcere lumen
Incipit, & lucis radios oſtendis amicæ,
Ardet inexpleta cupidum dulcedine pectus
Teque ſequi, viſaque frui, ſemperque potiri.
Inde animo ætherios avidi conſcendimus orbes,
Sidereaſque procul metas luſtramus, & ignes,
Et liquidi ſalis æquor, & aëris, & loca terræ, &
Quærenti quæcumque patent, ſcrutamur avari,
Correptique ardore tui: nam quid ſola terræ
Quid mare quid cælum quid demum ſidera & ignes

Nos caperent, niſi ſancta Tui veſtigia, per quæ
Te cupide ſequimur, quo inducis cumque, referrent?
Denique te propter nocturnis invigilamus
Pallentes libris, ſomnoque epuliſque relictis
Et Sociûm turba gaudentum. Sufficis una,
Una licet longe tenues quæſita per umbras
Sufficis. O! illo quantum gaudere licebit
Tempore, cum te ipſam non per ſimulacra, ſed ore,
Qualis es, attoniti claro ſpectabimus ore.
Affore tanta equidem ſperamus gaudia nobis:
Sed, te dum rebus longe ſpeculamur in ipſis,
Tota tibi quoniam paret, quam pandere verſu
Aggredior, Natura; tuo mihi Numine præſens,
Quo ſine nil oritur, neque pulchrum & amabile quidquam eſt,
Adſis; pectus & hoc veris rationibus imple
Illabens, faciliſque tuum da, Diva, leporem
Verſibus in noſtris, conor quos pangere magnis
Sorgorum de Gente Viris: hos inclita tollit
Nobilitas, his ingenium divinius, & mens
Rerum notitiis præfulget in omnibus, omni
Hos tu, Diva, tua voluiſti excellere laude.
Eja igitur Vos, doctrinæ qui templa tenetis
Edita jampridem ingreſſi, ſi publica rerum
Cura ſinit noſtras etiam non ſpernere Muſas,
Eja agite, hos vultu facili mea dona labores,
Marine, atque Antoni, illo, quo ſæpe ſoletis
Me meaque, excipite; &, quamvis ſint tenuia dona,
Non inopem laudate animum: quin eſtis & hujus
Vos partim Auctores Operis; (pars altera noſtra eſt)
Nam Vos & ſuaſiſtis, & id potuiſtis ob uſum
Suavis amicitiæ; (vobis concedere quidvis
Par erat) idcirco eſt opus ad vos veſtra referri.
Vos etiam nec ſpe nec nobilitate minores,
Basseglì, cujus vitrix facundia linguæ;
Quique tuam Grajum, Zamagna, a fontibus ipſis,
Doctrinam hauſiſti; tuque o ſate ſanguine claro
Ragniadum, ingenuas Muſarum excultе per artes,

Egre-

Egregii Juvenes animos intendite vestros;
Ut rerum occultas penitus convisere causas
Possitis, nostro quas in sermone solemus
Sæpe acri studio vigilique inquirere mente.
Quamquam ego non vobis ignota edicere pergo.
Nam quid rebus in his ignotum est denique vobis?
Sed, quia difficile est (præsertim cum sit agendum
Multa aliis verbis, quam quæ sibi vindicat usus)
Versibus illustrare nova atque obscura reperta,
Multa ideo possunt attentam exposcere mentem.
Et jam, docta Cohors, tibi protinus ipse, quod instat,
Cunctarum incipiam rationem evolvere rerum,
Principio inquirens, quæ sensu & mente videntur
Esse in Natura, num sint? tum quodque quid extet?
Quid Deus, atque Animus, quid Corpora? & unde coorta,
Et quibus a causis, & qua ratione? vacantes
Tu tamen his adhibe dictis aures animumque;
Dum maria & terras circumfusumque peragro
Aëra, sidereique vagor per mœnia mundi.
Invenies etiam, teque hoc longe omnibus unum
Plus capiet, per quæ felix consistere possit
Vita hominum, & rerum rectus quid flagitet usus,
Quæ finis sit summa Boni, quo tendere oportet.
Gallus Homo nobis ea mente animoque sagaci
Omnia pervidit: non illum monstra, Chimæræ,
Scyllæque, Sphingesque, aut tristia Centaurorum
Sæcla peragrantem naturæ lustra latentis
Obvia compressere minaci murmure contra
Horrificisque Virum formis. Vis vivida cælum
Vicit, & hinc lucem nobis felicibus audens
Extulit auspiciis, & pulsis orbe tenebris
Naturæ cæcam patefecit callidus artem.
Hunc Deus, ipse Deus mundo & tibi, Gallia, multum
Indulgens plane est illo dare tempore visus,
Quo vis cæca hominum stygiis suffusa venenis
Tollere de medio Numen, penitusque receptum
Infixumque suo sub corde abolere parabant.

Ille audax bellum contra non ære nec armis,
Aut quibus infeſtum monſtris purgaverat Orbem
Claviger Alcides, aut Diva quibus jaculatrix
Uſa in montiferos Phœbo cum fratre Gigantes;
Sed rationum illud ſuſcepit pondere, & ipſa
Naturæ ſpecie, dum veri luce coruſca
Fulgurat, & cæcæ præpandit lumina menti.
  Hujus ego ſervata legens veſtigia longe
Principio edico, Naturæ in templa ſerena
Si juvat admitti, atque illa gaudere reperta,
Omnibus eſſe tibi dubitandum in limine primo
De rebus, quas noſſe prius te cumque putabas:
Non id propterea, quia rebus nulla vel extent
Vera, ea vel poſſint nulla ratione patere;
Omnia pro falſis ſed habendum, purius inde
Eductum ut Verum omne niteſcat, certaque conſtent
Principia in rebus, totamque gerat Ratio rem.
Non ſecus ac curvo creſcentem ſtipite plantam
Seu gaudentis aqua Platani ſeu puberis Ulmi,
Tunc illam ſi cura agreſtis ſedula rectam
Stare velit campis, multum in contraria flectit
Connitens, aliudque, facit, detorta ſua vi
In latus inclinet; non quod magis optet, ut illac
Pendeat; aſt inter geminatos oppoſitoſque
Niſus, non illac non hac, at utrinque reducta
Arbor conſiſtat medio rectiſſima trunco.
  Nec ſimplex cauſa eſt dubitandi: plurima namque
Scire licet multis erroribus intermixta,
Quos Veri indutos faciem internoſcere pacto
Poſſumus haud alio, noſtramque exſolvere mentem,
Omnia ni pariter rationis ad acre vocentur
Judicium, atque alte quoque ſingula diſpiciantur,
Conſtet uti, Veri ſpecies quæ certa, modoque
Quo diſtet falſis, quid & hæc illamque ſit inter.
  Tu, reor, haud aliter facias quoque, ſi tibi quiſquam
Aurea multa ferat, quæ ſe debere fatetur,
Multa ex argento confecta numiſmata, quorum

Si

Si non pauca minus vel pendere, deteriori
Vel retegas longe, quam par, conſtare metallo,
Plurima tum ex cumulo quamvis ſincera rearis,
Non tamen ante tibi recipis, quam ſingula libres,
Singula quam puro teneas conflata metallo.
In nummis igitur ſi legem hanc exigis æquam;
Illis nonne tibi ratio quoque ſuadet eandem
Æquior in rebus, queis mens diteſcere poſſit?
Cum minus interſit, flavo ne fallar in auro,
Quam ne quid falſo mens judicet, incertumque
Fluctuet in tenebris ignara & luce maligna.
Quare age; & errorum fontes penetremus ad ipſos,
Illorum & cauſas penitus nos inſinuantes
Evolvamus: erit multæ id ſeges utilitatis,
Pectora doctrinæ ſancto dum lumine gaudent
Perfundi, puroque haurire a fonte liquores.
Nil didiciſſe poteſt, qui non prius omne, quod intra eſt,
Excutiat falſum. Jam mentem adverte ſagacem.
Principio rerum ſpecies, quas hauſimus alte
Tum, cum prima novis ætas fuit & rationis
Indiga mens, longe ex animo poſuiſſe neceſſe eſt.
Tunc etenim, ut quævis male firmo per loca greſſu
Repſimus inſtabiles, & humum plerumque petentes,
Sic levis & nullo rationis pondere certæ
Mens firmata ferebatur, quocumque labantem
Rerum impellebat variantia, ſeque plicabat
Errorum in nodos cæcis conſperſa tenebris.
At veluti facile ignotis nova pectora rebus
Protinus illudi, ſe fortibus indupeditum
Sic contra durum ac rarum eſt exſolvere nodis.
Præterea tenero molles in corpore ſenſus
Multa modis multis in ſe tranſmiſſa receptant
Ex alienigenis rebus, varieque moventur.
Nam manus ad glaciem gelidique ad fluminis undam
Frigida fit; ſentit flammis admota calorem;
Contrectata ſibi ſolidiſſima marmora reſtant;
At cedunt mollis tangenti vellera lanæ;

Lucem oculi a rebus varioſque in luce colores
Accipiunt, tremulus pulſis ſonat auribus aer.
Inde fit, ut lucem temere, & cum luce colorem
Rebus ineſſe putemus, & auras eſſe ſonantes,
Et gelidam glaciem, flammiſque vigere calorem
Aſſimilem noſtro, quem tum manus excita ſentit:
Prædita mollitie quoque vellera, prædita multa
Marmora duritie: velut idem ſenſus ineſſet
Illis, qui nobis, ope quorum cominus ipſi
Talia percipimus: quia propter diſpoſituras
Rerum multimodas motuſque ſimul variantes
Exoritur varius nobis quoque multiplexque
Senſus, ut eſt variis a rebus percitus extra.
Adde, quod & noſtros multi nil fallere ſenſus
Contendant: (quibus hoc ultro concedere poſſim:
Senſus enim haud aliter rerum nos admonet omnis,
Ac ipſe a rebus fuerat commotus: eandem
Oſtendunt oculi, quam ipſi accepere, figuram)
Præterea exortum verum omne a ſenſibus ipſis,
Noſtrarumque putant ut normam notitiarum
Senſus, quos nunquam ratio ulla refellere poſſit.
Fiet at hinc, ut Sol ut ſidera, quæ ſuper alto
Æthere conſedere, (quibus ſi vaſta referre
Hæc terræ loca cum circumcingentibus undis
Collibuit, Tellus, quam lata eſt, tota neceſſe eſt
Sit longe longeque minor, milleſima quam pars)
Non majora micent, oculis quam conſpiciuntur,
Quam facis exiguæ, quam parvæ lampadis ignis.
Fiet item, celeres cum per vada ſalſa phaſeli
Decurrunt Nautis remo impellentibus undas,
Subter aquis tonſæ ut frangantur; namque videntur
Subter aquis frangi: pariter quoque cætera fient,
Veri prima fides inerit ſi ſenſibus ullis,
Quæ fieri ſenſus demonſtrant: cum tamen omnis
Poſſe eadem fieri ratio cujuſque refutet.
Ergo, ſi tollas rationem, opus eſſe fatendum eſt,
Nobis ut ſenſus (quamvis non claudicet ipſe)

Cauſa ſit errandi : nimirum judicii expers
Dum ſibi, quam par eſt, plus arrogat immoderate.
Ut ſi regula certa, potes qua noſcere rectum
Quid ſit, quid contra curvum, & nil talia præter,
Exoptes etiam, ut tibi pondera menſuraſque
Demonſtret rerum, longe a ratione ferere.
Nimirum ſic eſt per fœdera naturaï
Diſpoſitum, ut rem quæque ſuam gerat officiumque
Res bene, ut alterius, niſi prave, non metat arvum.
Judicio ſenſus abſiſtant : cætera ſume,
Quæ ſua quiſque tibi dant ordine convenienti.
Et tamen uſque adeo primis hæſere tenaces
Senſibus haud pauci Sapientum, in rebus ut eſſe
Nil uſquam, quod non ipſi ſenſere, reantur.
Quapropter, quoniam nil, præter corpus & ejus
Eventum, ſenſus poſſit pertingere noſtros;
Nullam aliam in rebus, quæ non ſit corpus & ejus
Eventum, pugnant naturam exiſtere poſſe :
Uſque adeo longe progreſſi, ut non minus eſſe
Corporeas dicant animas, quam cætera, terram,
Aëra ventoſum, lapides, arbuſta, liquores.
Et quoniam, ſolido ſi conſtet corpore, ut aurum,
Mens non poſſit, ut eſt, ſic velox eſſe, repente
Permeet ut maria & terras cælumque profundum;
Lævibus idcirco perſubtilem atque minutis
Perquam corporibus dicunt conſtare creatam,
Qua neque mobilius quidquam neque tenuius extat;
Aſſimilemque putant igni ventiſque citatis,
Omnia qui penetrant late loca pervolitantes.
Quod quantum a vera avulſum ratione recedat,
Perſpicuum tibi poſterius faciemus, & hanc rem
Ipſo a principio repetentes expediemus.
Nunc locus eſt quoque in his illud tibi dicere rebus,
Mentem ſæpe ſuis nimirum præcipitanter
Uti judiciis, metuit dum ignara videri.
Idcirco magnis erroribus involvuntur,
Qui neſcire volunt potius, quam haud ſcire videri.

Inſanum potis eſt hunc declinare pudorem,
Qui bene pervideat, Sapientum quantula res ſit
Scire, ſuum teneat quæ finem progrediendi;
Infinita quidem cum conſtent omnia, ſciri
Quæ poſſint, quæque eſt illos neſcire fatendum.
Hac proin labe animi ſi quis mentiſque laborans
Viderit excelſo montis de vertice rupem
Aut pluvia aut annis aut fulminis igne ſolutam
Ex alto ruere in valles ſtrepitumque ciere;
At tenues contra in cælum diſcedere flammas;
Dicit eam ſubito vires gravitatis habere,
Qua ſummæ in medium res nititur ire ſine ullis
Ictibus externis; contra levitate ſuperne
Tenuia ſponte ſua, atque in cæli templa volare.
Sic litem ignotis plane ambiguiſque reſolvit
Nominibus, cupiens tantum ſe ſcire videri.
Conſimili ratione, videt cum pondera ferri
A magnete rapi ſurſum, & conjuncta teneri;
Sortitus lapis eſt vim ferro convenientem,
Inquit, & æterni ſancitum fœdus amoris,
Ut vicina velint jungi, metuantque revelli.
Jam ne vides igitur, nos quanta pericula fraudum
Circumſtent? quantum prope re fallamur in omni?
Quo magis eſt nobis dubitandum. Nec tibi poſſum
Errorum latebras omnes penituſque repoſtos
Inſinuare aditus, omneſque oſtendere rimas:
Nam me alia expectant cunctantem; forſitan & te
Jam piget, & quereris longum promiſſa morari.
Sed patere, adjiciam quoque pauca e pluribus, addi
Quæ poſſunt, dictis penitus tua tota fides ſit
Ut conraſa meis; tum dein ad cætera pergam
Lætior ingenuo concinnans omnia verſu.
Dic porro, mea ſi cauſando dicta refellis,
Unde fit, ut, veteri noſtraque ætate vocamus
Nomine quos pulchro, & Sapientes credimus eſſe,
Scilicet inter ſe tanto ut diſcrimine rerum,
Quas docuere, recedentes penituſque repulſi

Diffi-

Diffideant, atque in pugnas in bella ferantur
Ardentes? quænam hos excivit cauſa tumultus?
Aſſimili veris nimirum prædita forma
Plurima falſa, quibus mens ſeſe opponere neſcit
Victa dolis: nam ſi vera omnes omnia dicant,
Haud ulla inter ſe diſtent ratione, neceſſe eſt.
Aſpice præterea gentes a gentibus ipſas
Non tantum varia cæli regione locique
Aut lingua aut habitu aut diverſas moribus eſſe,
Quantum inter ſeſe de rebus mente videndis
Judicio pugnant; nunquam quod poſſit, opinor,
Eſſe, niſi omnino fallantur in inveniendis
Veri, quod quærunt, rationibus, & procul errent.
His accedit, uti vario pro tempore vitæ
Nos etiam a nobis longe diſtemus in annis
Nunc quam præteritis multum diverſa ſequentes,
Poſt & venturo longe mutabimur ævo.
Quin & ſæpe die pugnantia ſector eodem:
Nimirum modo flectit amor, modo concitat ira,
Et modo lenem animum reddit jucunda voluptas.
Quare noſtra modis variis mens mota, neceſſe eſt,
Ut varium tueatur, & in diverſa feratur.
De plano potes hinc igitur cognoſcere, longe
Quam nos a Veri regionibus abſiſtamus
Multis in rebus: quapropter, fallere multæ
Res quoniam poſſunt, ſimili ratione cavendum eſt,
Ne fallant omnes: quare omnibus eſt adhibendum
Rebus, ut eſt illis, quas circa erramus aperte,
Nimirum veræ pro vi rationis ut omnes
Rurſum expendantur: neque porro expendier omnes
Poſſunt, & veram revocarier ad rationem,
Ni, quarum nos cumque ſumus rerum ante potiti
Notitia, nil jam penitus nunc ſcire reamur.
Et veluti, juncto poſtquam bove verterit arva
Pinguia, & infelix excoxerit omne per ignem
Herbarum vitium tribulos loliumque Colonus,
Proſciſſæ mandat frumenti ſemina terræ,

Inver-

Inverſoque ſolo penitus tegit; haud ea certe
Prodigus ut perdat, (non ruri prodiga vivunt
Pectora) ſed plenas illinc viſurus ariſtas
Creſcentes, & meſſe domum impleturus opima :
Sic bene majori commutat fœnore ſortem,
Tu quoque cunctarum ſic obliviſcere rerum:
Neu ſemper ſit opus dubitare, incertaque rerum
(Fluctibus ut mediis ſine clavo pinus) agatur
Huc animi mens atque illuc, metuaſque doloſas
Errorum facies, captæ ludibria mentis;
Hic paulum addubites : dein ingens copia veri
Influet in mentem, tuque hac lætabere parta.
Nec Verum in rebus facile eſt reperire : ea certe eſt
Gloria paucorum, quos non ſine convenienti
Ordine notitiis ſcimus rerum eſſe potitos.
Nos horum, ſi quid cupimus feciſſe, neceſſe eſt
Obſervata ſequi veſtigia certa viaï.
Fruſtra Paſiphaes Prolem Taurique biformem
Immani letho ſtraviſſet Cecropidarum
Ægides longe fortiſſimus, & ſua nunquam
Narraſſet ſeſe pereunti facta Puellæ
Fortia, ni tandem labyrinthæos mæandros,
Et cœcum tecti ducentia fila ſecutus
Explicuiſſet iter : per flexus reddita finis
Nam ſecus errandi nunquam foret, æternumque
Manſiſſet cœca labyrinthi indagine clauſus.
Quapropter, quoniam naturam inquirere rerum
Cœpimus, eſſe opus eſt aliquod, quod prendere primo
Impete poſſimus mentis, liquidumque patenſque
Principium veri, quod nos ad cætera ducat
Paulatim a primis & notis progredientes
Ad non nota & ope alterius noſcenda prioris.
Quare age, quæ noſtræ primordia notitiaï
Sint, & quam ſolidæ nitantur cætera moli,
Percipe : nempe omnis ratio hinc exordia ſumit,
Non Animum, quamvis de cunctis ambigat anceps,
Ambigere incerto de ſe unquam poſſe timore,

Num

Num sit? in immenso nihili jaceatne profundo?
Quo sese magis ille fugit, conditque sub umbras
Avius in dubiæ cœca caligine noctis,
Hoc magis usque sibi occurrens sibique undique præsens
Se reperit, quocumque parat se denique frustra
Evasisse loci: nam conscia vociferatur
Mens intus, claraque magis se luce videndam
Exhibet, & sibi se dubitanti existere monstrat.
Quod si illam falli dicas, tamen usque necesse est
Sit, quæ fallatur; nam si non esset, eadem,
Qua non est, falli porro ratione nequiret,
Cum nihilo nil conveniat: quapropter oportet,
Mens ut non possit, dum se putat esse, refelli.
Et quamvis dubitare queam, num scilicet ipse
Et loquar & videam, dum sæpe videre loquique
Me reor; assimili tamen haud ratione valebo
Ambigere incertus, num sim; dum sæpe videre
Mi videor, tecumque loqui, tibique edere versus,
Aut dubitare etiam: neque enim præsentior ulla
Res Menti, ipsa sibi quam sit, quæ plurima circa
Ambigat, aut erret, se circa non valet unquam
Falli, dum sese per se sibique intima novit.
Consiteare opus est igitur, quæ cogitat esse
Mentem, & propterea, dum sese cogitat esse,
Non falli; neque enim, quod non est, fallitur unquam.
Nunc animum advertas, quid ab his deducere pergo.
Nos, quia percipimus, certum est extare; neque ullo
Id potuit nobis unquam innotescere pacto,
Ni quia perspicuam manifestamque ejus habemus
Notitiam, qua nos ipsum non posse videmus
Non extare Animum, dum vult dum percipit & se
Cogitat, aut aliud quodcumque facit ratione
Non alia certe, quam quod sit, & absit inani
A nihilo: quare manifesto lumine quidquid
Et non confusa clarebit imagine veri,
Verum erit usque adeo, non unquam ut fallere possit:
Nam si posset, eadem illum ratione valeret

Fal-

Fallere, qui ſeſe retur, dum cogitat, eſſe;
Quod non poſſe quidem docui, res ipſaque per ſe
Jam patet. Ergo illud, quod clara in mente tuemur,
In nullas poterit nos unquam inducere fraudes.
Inde tibi elucet, rerum id non poſſe quod extat
Non extare ſimul; nihili nihil eſſe; ſuaque
Majus parte, quod eſt totum, parque omnibus eſſe.
Cætera de genere hoc tibi poſſim commemorare
Plurima; ſed facile a paucis tibi commemoratis
Tutemet agnoſcis, quo verum defluat amne.
Quare, perſpicua in ſe mens quodcumque receptat
Notitia, vinco verum debere fateri
Omnino: nam, ſi menti ſubtraxeris illam,
Cuncta ſub incertis latitabunt merſa tenebris.
Haud ſecus ac clari ſubtracta lampade Solis
Hanc terræ faciem horrenti nox contegit umbra,
Obruit atque omnes ſimili nigrore colores,
Ut neque Purpura Sidonio contincta nitore
Concharum quidquam plebeja a veſte recedat,
Nec veris lepor & pratorum gloria flores,
Deſponſæ unde ſuo capiti dant ſerta Puellæ,
Aut adamantina lux digitis geſtata Potentum
Exſuperent terræ horrorem brumalis & atras
Cimmeriis herbas in vallibus: omnia namque
Unum conſimili forma velamen inumbrat.
Hæc bene cognita ſi tibi ſunt, ut opinor, & alte
Vera recepta animo, ſequere ad majora paratum
Ferre pedes: certum namque eſt mihi te comitante
Omnia ferre alacrem ſuſceptæ dura viaï,
Donec ad extremum pertingam. Conſcia certe
Non tantum mens ipſa ſibi eſt exiſtere ſeſe:
Scit quoque, quod variis, dum ſemper cogitat extans,
Cogitet ipſa modis: modo vult, modo velle recuſat;
Contemplatur item meditans; incognita quærit;
Tum ſuper addubitat; vix multo pauca labore
Detegit ignorans infinitum omne, quod ultra eſt;
Et ſe plura quidem notis neſcire fatetur:

Multaque præterea, quæ non habet, optat habere
Ingenti desiderio percussa repente.
Denique sæpe malo turbatur mœsta dolore
Sæpe metu, & nunquam votorum in fine quiescit
Propter egestatem, sibi quæ cupit ipsa, bonorum.
Quare deficere in multis se conscia novit:
Quod nullo posset de se cognoscere pacto,
Ni Summi nullaque ex parti deficientis
In se notitiam cohiberet; protinus a quo,
Dum se illi confert, videt usque recedere longe,
Ut medio penitus dirimantur ab infinito.
Inde fit, ut facies, cum primum ætatis agunt ver,
Virgineas facies florentiaque ora tuentes
Pulchra vocemus, & hæc aliis præstare putemus
Judice non alio, qualis Priameïus ille,
Cui Venus ante alias placuit Dea, Pastor in Ida;
Ipsa sed specie Pulchri, quod mente tenemus:
Ad quod ut accedunt quædam minus aut magis, illa
Debebunt nobis minus aut mage pulchra videri.
Consimili ratione videbis de genere omni
Nos aliquid summum supremumque intus habere,
Idea quod Grajis vocitatur; possumus id nos
Notitiam aut speciem aut exemplar reddere rerum.
Porro quis tanto donavit munere mentem,
Ut, quod sit Summum Supremumque, ipsa videret?
Non etenim sibi mens per se unquam effingere tale
Quid valuit: quoniam a Summo sibi conscia certe est
Deficere in magnis atque omnibus e genere omni.
Nec nostri docuisse ea nos potuere Parentes,
Quos ex natura consistere scimus eadem
Ac nosmet pariter finita & deficiente.
Nec fuit a rebus postremo haurire potestas
Notitiam Summi; cum quas natura locavit
In promptu, nobis sint longe deteriores:
Quo magis a Summo cunctas distare fatendum
Res, nec notitiam illius procudere posse.
Quare, quod superest, Summi quam mente tenemus
Noti-

Notitiam, a Primo Summoque recepimus ipſo.
At Summum hoc merito Numen vocitare Deumque
Suemus; namque illo majus nihil eſſe putandum.
Ergo extare Deum debes Numenque fateri;
Quandoquidem debes, quod Summum eſt, eſſe fateri:
Quin Ipſum noſtram præſens involvere mentem
In ſeſe, & diæ radiis effulgere lucis.
Præterea vel Mens, quam certo exiſtere novi,
Hoc habet a ſeſe, major Natura vel olli
Largita eſt: at id ipſa ſibi concedere nunquam
Evaluit, quoniam & ſimul omnia ſumma dediſſet,
(Quod magis huic facile eſt, qui ſeſe eduxit, ut eſſet,
A nihilo) parti neque paſſa fuiſſet ab ulla
Deficere. Ergo aliquam, quæ mentem effecerit, extra
Eſſe Poteſtatem magnam fateamur oportet.
Rurſus id inquiro, Natura hæc altera major
Unde ſit? a ſeſe ſi conſtat, ſumma profecto
Eſt eadem; ſin quæ præſtantior altera, ut eſſet,
Huic dedit, hanc iterum rationem iterumque ſequendo
Demum erit in ſumma ſiſtendum, unde omnia pendent,
Natura, quam nos Numenque Deumque vocamus.
Poſtremo Summi, cujus nos intus habere
Sentimus ſpeciem, ad naturam pertinet eſſe:
Quod non extat enim, nihil eſt; diſtantia proinde eſt
A nihilo certe ſumma infinitaque Summi.
Ergo extare Deum debes Numenque fateri.
Neu tibi ſit fraudi, quod nos Numenque Deumque
Dicamus, tu fac ſubjungas nomen utrumque
Uno, quod Summum & Supremum diximus eſſe:
Nam, quod Supremum eſt & Summum, excellere debet
Longe alios ſupra, quod non niſi convenit Uni.
Tum, ſi plura forent paria hæc, quæ Summa vocamus,
Diverſa inter ſe natura diſque gregata,
Diſtarent aliquo; nam quod foret alterum, id alterum
Haud foret omnino: quare conſiſtere neutrum
Sic poſſet Summum, quod non niſi convenit Uni.
Conſimili ratione nequit de partibus ullis

Componi Summum : neque enim tunc quælibet harum
Summa foret ; ſiquidem Summum eſt, ut diximus, Unum :
Porro ex non Summis non quit coaleſcere Summum.
Eſt igitur ſummi ſimplex natura reperta
Numinis : omnis erit quapropter corporis expers :
Corpus enim pariter ſupraque infraque & ab omni
Eſt latere extenſum, quod non ſine partibus ulla,
Si bene pervideas, fieri ratione putabis.
Illud præterea, quod non eſt corpus, oportet
Aut nihil, aut mens ſit : neque enim queat eſſe quid ultra,
Percipio ; at ſupra Summum nihil eſſe negatum eſt ;
Spiritus illud erit quapropter Vitaque Menſque.
Immutabile item, quia Summum eſt, Numen oportet
Eſſe : ſuis etenim quodcumque e finibus exit
Mutatum, certe in melius, contrave, neceſſe eſt
Vertat ſe in pejus ; quod Summum utrumque refutat.
Adde, quod hoc fines nullos habet, unde recedat
Egrediens ; nec habet, quo ſe deferre, quod ipſum
Non ſit idem, poſſit : quare immutabile Summum eſt.
Et pariter debes proinde immortale fateri.
Qui tibi poſſit item Pulchrum Verumque Bonumque
Non id, quod Summum eſt, ſumma ratione videri,
Si quidquam eſt uſquam pulchri verique bonique,
Tale quod ex aliqua ſaltem tibi parte videtur?
Adde, quod & cælum & terras pelaguſque profundum,
Et quocumque oculos circumfers, numine complet
Immenſo locus ipſe ſibi Deus, omniaque uno
Continet amplexu, ſed non extenſus, ut æther,
Per loca, qui circum mundi latera omnia fuſus
Stelliferi ad metas extollitur arduus orbis,
Sic tamen, ut teneat majori parte loci plus,
Parte minore ſui minus, & non omnis ubique.
Omnibus omnis adeſt Deus, & videt omnia paſſim
Nuda & aperta ſibi, quæ rerum cumque geruntur,
Queis ſunt cumque locis ; nil poſſit ut illius uſquam
Effugiſſe Poteſtatem, longeque recêſſe.
Scilicet hæc Summi natura immenſa requirit.

Quin etiam æternum, quod Summum eſt, eſſe fateri
Cogimur. Ante pedes (da ſic colludere paulum)
Illius ante pedes fractis inglorius alis
Annus, & immotum jacet alta per otia Tempus:
Tempus enim fit, ubi quid nos mutarier ipſis
Cernimus in rebus: tranſactum dicimus eſſe,
Quod fuit ante, nec eſt in re, quæ mobilis extat;
Ac tum deinde, quod inſtat, in illud proſpicientes,
Eſt nec adhuc in re, venturum nominitamus.
Scilicet intra nos tum percipiamus oportet
Notitias aliis alias ſuccedere: tempus
Novimus hinc; prima hinc ejus menſura fluentis.
At, quoniam, ut ſupra docui, immutabile Summum eſt,
Nec divina quies motu variatur ab ullo,
Temporis eſt expers etiam æternumque repertum:
Scilicet immotum non unquam elabitur illinc
Præſens, dum felix & tota ſimul fruitur ſe
Vita carens pariter fine omni principioque.
Hinc quoque perfacili poterit ratione patere
Eſſe infinitum, quod Summum eſt; non numerorum
More, quibus ſerie permagna quamlibet auctis
Adde unum, creſcent; uno minuentur ademto.
Quin magnum poteris guttatim tempore longo
Exhaurire, licet terram circum ambiat omnem,
Oceanum, quia habet, quod ſeſe finiat, ultra.
Nunc, extra Summum quoniam nihil eſſe videmus,
(Nec foret id Summum, ſi quid finiret id extra)
Non habet extremum: nullo ergo fine tenetur.
Unde animo tollas quantumvis, non tamen illuc
Pervenies, ut non infinitum uſque relinquas:
Nam Summum eſt ſine fine, ſibi par denique ſemper.
Non alibi inquiras, quid ſit Sapientia: nuſquam
Illa, niſi in Summo eſt; quod, cum ſe noverit intra,
Omne quod eſt, novit: quare Sapientia ſumma eſt
Infinitaque Mens, hujus cui ſcena Profundi
Tota quidem patefit, quàm vaſta eſt quantaque tota.
Hæc rerum formas cunctarum continet in ſe.

Pro-

Proinde quidem, ſemper cum ſe tueatur, oportet,
Quarum habet exemplar, videat res ſemper ut omnes,
Quæcumque exiſtunt, quæcumque exiſtere poſſunt.
Da paulum ex humili mihi nunc conſurgere mente,
Alma Fides: neque enim Naturæ luce pateſcunt
Omnia, quæ tute non ignorare ſequentes
Concedis ſancto perfundens lumine corda.
Non ego te e cæli regionibus oſtentantem
Lumen inocciduum Veri mortalibus ægris
Uſquam amittebam dubiarum in nocte viarum,
Notitiam ante omnem quas ſponte ingreſſus inibam.
Ipſa doces, Numen, dum ſeſe conſpicit intra
Contemplans ſummam Naturam & id omne quod Ipſum eſt,
Par ſibi quod genuit Verbum, fœcundaque ſemper
Mens generat, ſemper ſeſe quia conſpicit intra.
Hanc Prolem Pater æternum complexus amavit,
Illa quoque æterno in Genitorem fertur amore:
Hinc ab utroque ſimul ſed par procedit utrique
Dius Amor: ſic ſe fœcundam reddidit illa
Impare ſed numero ſimplex Natura, tribuſque
Conſtat at una manens, aliuſque aliuſque, ſed unum
Omnes ſunt pariter, naturæ ſimplicis omnes.
Talia velle animo ſed veſtigare ſagaci
Funditus inſanæ nimia eſt audacia mentis;
Interea tanto quam præ fulgore neceſſe eſt
Caligare mage, & reperire in luce tenebras.
Et jam, quod ſupereſt, pergam contexere dictis.
Præterea ſummi debet Natura videri
Numinis Omnipotens, ut poſſit, quidquid in illa
Mente gerit, facere: at rerum gerit omniparentes
Cunctarum formas; quare omnia poſſe fatendum eſt.
Non illi labor ullus erit facere atque creare;
Nam, quæcumque velit, ſubito facta atque creata
Exoriuntur, & e nihilo venientia conſtant.
Nec mora, quod libuit (ſatis ipſi velle) peractum eſt.
Nec finita poteſt poſtremo mens cohibere
Summum infinitum: nam, ſi comprenderet ipſum,

Non infinitum Summum foret, ipſave contra
Non finita. Vides, pariter quam pugnet utrumque.
Nos itaque a Summo tantum diſtare neceſſe eſt,
Quantum infinita inter ſe ac finita Poteſtas
(Quod ratio cohibet menſuræ nulla) recedit.
Pro! mentes hominum ignaras, pro! quantula norunt
Cæca magis cæcis avibus, quæ nocte vagantur,
Pectora: at aërias affectant pennipotentum
Ire vias, magnique cacumen prendere cæli.
Hinc ſe illi a vili cupiunt ſecernere vulgo
Sublimes, ſpretis aliis, alteque locari.
Reptantes nec humi ſeſe agnovere, ſuiſque
Hærentes tenebris auſu contendere vano.
Æquius a parvi cum Paſtor vertice collis
Jactet ſe ſpatio propiori cernere Solem,
Quam qui humiles campis ſedere aut vallibus imis;
Cum magis ad Solem collati & ſidera diſtent
Illi inter ſe, quam Sapiens a plebe minuta,
Si ſimul ad Summum collati reſpiciantur.
  Hæc ſi pernoſces perſunctus carmine noſtro,
Quod tibi de Summi natura concinui, quo
Firmius hæreſcant animo res, inſideantque,
Cætera perfacili poteris cognoſcere niſu.
Nam veluti excelſi qui clivum montis anhelans
Difficili aſcenſu Sole impendente per æſtum
Vix tandem exſuperârit, & eſt jam rupe potitus
Suprema, feſſus quamvis & languidus artus
Convertens oculos huc illuc detegit omnem
Subter planitiem camporum & vallium opaca,
Nec non & longo ſpatio diducta locorum
Proſpicit & pelagi fluctus urbeſque lacuſque
Fluminaque & longo fugientes ordine montes;
Nec clivo ſupereſt ullus labor exſuperato:
Sic poſtquam tibi, quod multum referre videbis,
Conſtitit eſſe Deum, Naturaque ſumma reperta eſt,
Cætera perſpicua poteris, quæcumque ſuperſunt,
Luce palam cognôſſe; velis convertere tantum

Huc aciem mentis, quo te mea dicta vocabunt.
Quare age, corporea quæ prædita mole videntur,
Pervideamus, utrum conſtantia ſint in rebus.
 Principio, ſemper cum mentem ad corpora verto,
Nil aliud novi naturam corporis eſſe,
Quam quod ſe ſimul in longum atque extendit in altum,
Et latum pariter conſtat: neque fingere poſſum
Illius uſque adeo minimum extremumque, quod ullas
Non habeat partes, quarum altera non ſit ad ortum,
Non ſit ad occaſum verſa altera, tum quibus imam
Reſpiciat terram, & quibus aurea ſidera cæli.
Tactu id ſæpe licet, quodcumque eſt, ſenſificiſque
Uſurpare oculis nequeam; tamen uſque neceſſe eſt
Partibus extenſam naturam corporis eſſe.
 Hinc mihi perſpicuum eſt exiſtere corpora poſſe:
Namque quod extenſum eſt, ulla ratione videri
Haudquaquam oppôſtum poterit tibi diſcrepitanſque
Exiſtentibus a rebus, non poſſit ut unquam
Eſſe, quod extenſum eſt: igitur dum conſtitit illud
Poſſe exiſtere, erit revera extare probandum.
 Et primo tactu contingere plurima ſæpe,
Cernere res coram, ſonituſque audire videmur.
Et licet hic ſenſus nos intra in mente genatur
Omnis, ut audire eſt nimirum, reſque videre,
Tangereque: in plures quoniam ſe vertere formas
Mens potis eſt, dum res varias ratione revolvit
Non una, verum varianti multiplicique:
Sæpe tamen ſenſu, quæ non velit ipſa, reluctans
Percipit, ut propiore manus cum læditur igne.
Non igitur, quamvis mens omnia ſentiat, omnis
Ipſa ſibi cauſa eſt ſenſus: quare eſſe fatendum eſt
Quiddam extra, ſenſus quod concitet impellatque:
Quod porro extenſum niſi ſit, non poſſit, opinor,
Hac ratione animum pariter ſenſumque movere.
Corpora ſunt igitur, quæ nos extenſa vocamus,
Et vere exiſtunt in rebus, certaque conſtant.
 Tum, quando ſenſu ſemper conſtante vigemus

Res circa, rerum ſi nil exiſteret harum,
Et nos perpetuo proin tota denique vita
Erraremus eas revera extare putantes,
Gauderet noſtros falſis illudere ſenſus
Numen imaginibus; ratio quod vera refutat,
Qua prius eſſe Deum docui Verumque Bonumque.
Conſtantes igitur quæ nos extare videmus
Corpora per ſenſus, eadem illa extare neceſſe eſt.
  Et quia, quæ noſmet circumſtant corpora, eoſdem
Semper per ſenſus variis diſtantia formis
Inter ſe, & longe in multis diverſa videntur;
Illud erit, quod idem, dum magnis partibus extat
Corpus & innumeris, vario harum conciliatu
Ordine contextu & motu variare figuras
Debeat, atque alia, in quibus hæc differre videmus
Ante oculos poſita, atque ideo diverſa vocamus
Inter ſe; quamvis unum ſint omnia corpus,
Unum ſint pariter corpus, quod dicimus Omne.
Omne vocamus enim, multis e partibus aptum
Digeſtumque bono quod convenit ordine in unum.
At variant partes; alba hæc, ea nigra videntur;
Multa moventur item, velut ignis; multa quieſcunt
Concreta ſolidaque magis conſtantia mole;
Altera ſicca magis ſunt; aſt humentia contra
Altera: multimodis ſic diſtant corpora formis,
Corpora, quæ partes unius diximus Omnis.
Namque ſua ſunt pro natura convenientes
Quæque ſibi ſortita locos diſpôſtaque tali
Ordine, ut efficiant, unum ſint omnia corpus,
Unum ſint pariter corpus, quod dicimus Omne.
  Contemplator item, ſic quoddam ſemper adeſſe
Nobis corpus, uti quo tandem cumque locorum
Progrediamur, id aſſidue comitetur, & unquam
Non abſit longe a nobis, ut multa, relictum.
Quin ſuper auxilio eſt, quoties tentare quid extra
Collibuit; motu illius quæcumque movemur
In loca; at immoto pariter conſiſtimus illo;

Illo

Illo oculos tuimur circum referante; per aures
Illius audimus voces; tum mollia quæque,
Duraque item, siccas glebas, frigentia saxa,
Humoremque liquentem opera contingimus ejus;
Et sentimus item per nares ejus odorem;
Ut demum pepigisse queat cum mente videri,
Ut cum affectum aliqua fuerit re, protinus ipsa
Adsit ibi excubiis veluti Mens excita, vimque
Excipiat sensu quamvis invita molesto,
Ictum erit immiti graviter si vulnere corpus;
Mulceat at suavis placide transmissa voluptas:
Inque vicem motus animi, mentisque sequatur
Imperium corpus subito parere jubenti,
Temporis inter nil videatur ut esse, paratum.
At nulla hoc peragi posset ratione profecto,
Isto ni penitus mens sit cum corpore juncta,
Ut tali simul e consensu prodeat unum,
Unum id, nos Hominem quod dicimus esse: duabus
Quapropter naturam Hominis constare necesse est
Rebus, nimirum quæ sunt corpusque animusque
Inter se pariter conjuncti & conciliati.
  Hoc poterit sese pacto cognoscere quivis
Esse Hominem: sed quid certa ratione putandum
De reliquis, Homines pariter quos credimus esse,
Accipe. Non vultus non membra simillima nostris,
Non quod respirent auras, quod edantque, bibantque,
Atque pari nostro motu moveantur, & ipsis
Quod resonent verbis vocum flexuque moraque
Distinctis, facient, merito dicantur ut esse
De genere humano; quoniam nil detegit horum
Intus inesse animam; nam posse hos ire videtur
Corpus item in motus, sine vita quamlibet extet.
At neque quod vitæ nimirum inimica videntur
Longe aversari fugiendo incendia dira
Serpentumque truces iras malasque leonum
Sanguineas tristemve ex alta rupe ruinam,
Nec quod præterea sibi convenientia quærunt

Sectando ardorem per brumam umbraſque per æſtum,
Ullum animi præbent intus ratione vigentis
Indicium; fieri quoniam ratione remota
Cernimus illa eadem: longe averſantur arenas
Frumenta; at creſcunt ſaxoſis montibus Orni;
Flumina amant Salices; quærunt ſibi frigora Taxi:
Nec tamen in plantis animus ratioque videri
Debet ineſſe, licet ſibi convenientia poſcant,
Adverſaque loci natura ſponte recedant.
Adde, quod, ante oculos prope ſi crepitantia pulſu
Æra ſonent, inopinaque lux vibrata coruſcet,
Sponte repente ſua ſubitum clauduntur ad ictum
Lumina, ut hinc animam nunquam deprendere poſſis.
  Ut demum invenias, quod aves reperire, ſagacem
Advertas animum, quod cum audis ſæpe loquentes
Coram Homines, vocem non tantum percipis illam,
Cujus in aëre conſiſtit natura agitato,
Verum etiam vocis ſub ſigno nomina rerum,
Notitiæque tuæ bene reſpondentia verba:
Tutemet hæc eadem quoniam es tibi conſcius eſſe
In te mentis opus tantum, fateare neceſſe eſt
Hac ratione, aliis etiam vivata quod adſit
Vis animæ, per quam fundant ea verba, quibus res
Significent tibi non temere, ut veſania mentem
Percuſſit quibus, aut ſopitos ſomnia ludunt,
At ratione animi certa penituſque valente.
  Sed ſi forte putes nihil horum a corpore poſſe
Non fieri, horarum numeros & ut indice certo
Monſtrat, & ut ſonitu dat tempora ſcire per aures
Conſtans aut ferro aut dentato machina ligno
Prorſus corporea & non ullo prædita ſenſu;
Sic quoque ſi, humanum quod corpus nominitamus,
Eſſe putes adeo digeſtum diſpoſitumque,
Ut per ſe voces, quas non intelligat ipſum,
Edere poſſit, uti digitis pulſata peritis
Vocalis cithara, aut ſilveſtris fiſtula cantus
Dat ventis animata, licet non audiat ipſa,

Quod canit; hæc, inquam, fieri ſi forte rearis,
Falleris, & vera procul a ratione recedis.
Illa etenim moles motus conſtanter eoſdem
Temporis, & numerum ſervabit in ordine primo:
Nec quaſcumque voles horas pro tempore quovis
Illa tuo dabit arbitrio, ſed quas feret intus
Diſpoſitæ inter ſe contextus materiaï.
Nonne vides contra, quam a certa lege ſolutæ
Temporis, humano voces quæ ex ore feruntur,
Sint, & quam propria ſe libertate moventis
Cauſæ a principio procedant interiori?
Quilibet apta tibi reddet reſponſa petenti
Quidvis, cum libuit; rationem inquirere noſcet
Deducens alid ex alio, praviſque relictis
Eſſe bonum dicet ſectandum præque ferendum,
Dicet item, quid ſit pulchrum, quid conſonet illi
Veri notitiæ, quam nos in mente tenemus.
Denique multa tibi regionum, quas peragravit
Intervalla viasçælum moreſque viroſque
Narrabit memor; ac, queiſcumque vacaverit, artes,
Scilicet arma tibi ventoſque mariſque procellas,
Aſtrorum curſus itidem memorabit & alto
Menſuris comprenſa ſuis labentia cælo
Sidera; nec doctæ deerit facundia linguæ.
I nunc, &, ſimili quos cernimus eſſe figura
Nobiſcum, obſiſtens rationibus eſſe repugna
De genere hoc Homines, qualem es te conſcius eſſe.
Nunc age, & omnigenûm quæ conſtant corpora rerum
Omnia non ſemper ſæclis æterna fuiſſe
Innumerabilibus, ſed quæ Divina Poteſtas
Ipſa prior cunctis & per ſe prima creârit,
Percipe. Quæcumque in rebus conſtare videntur,
Non ſunt Summa; etenim Summum eſt, ut diximus, unum,
Quod per ſe nullius egens exiſtere debet.
Aſt hoc omne, quod eſt non ſummum, non erit unquam
Per ſe extans: opus eſt igitur, natura quod ejus
Pendeat a Summo: porro quia pendet ab illo,

Principium tenuiſſe ſui videatur, oportet,
De nihiloque creata, nec uſque æterna fuiſſe.
Quapropter, qui cunctarum primordia rerum
Eſſe æterna ferunt, per ſeque exiſtere poſſe,
Inſanire putem priſcorum corda Virorum,
Quorum cum primis Epicurus Democrituſque eſt
In patriis ambo viventes molliter hortis.
Hi licet a vera lapſi ratione ferantur
Egregie multis in rebus, ob id tamen unum
Magnopere errantes merito inſaniſſe videntur.
Haud aliter quam qui ſuſpenſam ſtare catenam
In liquido tantum velit aëre, tentet & auris
Innixam fabricare domum atque educere cælo.
  Neve Deum mihi jam pergas contendere, rerum
Quidquid id eſt, potuiſſe æterno educere ab ævo,
Æternaſque ideo res omnes poſſe videri;
Ut, licet a Solis claro lux profluat orbe,
Æternus ſi Sol, etiam illa æterna fuiſſet:
Non lux Solis enim diverſa conſtat ab illo
Natura; ſiquidem naturam utriuſque patebit
Perpetuo in motu conſiſtere particularum.
At contra Summum longe longeque remotum eſt
Rerum a non ſumma natura; proinde videri
Si queat hæc pariter ſemperque æterna fuiſſe,
Nonne pari ratione queat quoque ſumma videri?
Quod quoniam pugnat, pariter pugnare, creatæ
Quæ fuerint quondam, æternas res eſſe, neceſſe eſt.
Æternum ſummæ quapropter totius Omne
Non fuit; aſt illam ſemper Deus infinita
Natura excedens durando vincere debet.
  Non minus &, per quem rerum natura creata eſt
Omnis, uti maneat, ſervari debet ab illo.
Nam veluti ætherio perfuſi lumine campi
Aëris & vitrei fluctus maris & ſola terræ
Non poſſent lucem e cælo ſervare receptam.
Uſque novum niſi Sol largiri haud deſinat ignem;
Omnipotens ita quæ primo dedit eſſe Voluntas
Rebus,

Rebus, perpetuo maneant ut deinde creatæ,
Deſinere haudquaquam ſemper res debet eaſdem,
Ut ſint, velle: igitur nihil eſt ſervare creata,
Nimirum quam perpetuo ſemperque creare,
Ut ſic longa queant durando vincere ſæcla.
Illud in his tibi erit minime mirabile habendum,
Quod, velut effigies e marmore ſive elephanto
Aut ære aut ligno multam confecta per artem
Stare diu valet, atque ævi contemnere vires,
Quamvis docta manus ſigno procul abſit ab illo
Artificis qui finxit opus, quoque non ita poſſit
Copia cunctarum hæc rerum per temporis omnes
Circuitus per ſe conſtans ſervataque egere
Jam nihil Auctoris, qui primum exiſtere fecit:
Namque horum ratio pateſit diverſa profecto.
Non manus Artificis penitus conſiſtere fecit
Omne, quod in ſigno eſt, nec ab omni parte creavit;
Materies etenim ſigni omnis conſtitit ante
Aut inter ſilvas foliis & cortice tecta,
Aut incluſa ima terra Pariiſque rigens in
Rupibus; utque prius, quam formaretur in ora,
Indiga nil artis potuit conſtare, neceſſe eſt,
Poſt etiam ut poſſit, formam nil præter inanem
Dante manu: at quoniam, quanta eſt, a Numine tota
Conſtitit hæc penitus rerum Natura (neque unquam
Quîſſet enim conſtare ſecus) fateare neceſſe eſt,
Ejus quod ſit egens, ut conſtans incolumiſque
Servetur pariter: nam ſi ſubtraxerit illud
Velle ſuum, in nihilum revoluta repente rediret,
Inque ſuo penitus conſumta periret inani.
Quod ſupereſt, non eſt ratio ſcrupoſa probare,
Provida res omnes, queis jam dedit eſſe creatis,
Perpetuumque creat ſervans, Divina Voluntas
Ordine quod ſuavi regat & ratione potenti.
Principio, omnigenis conſtat de partibus Orbis
Ignibus atque undis & mobilis aëris auris
Et ſolida pariter terra; quæ ſingula cum ſint

Diſtan-

Diſtantem longe naturam, ut cernere cuique eſt,
Sortita, haudquaquam formam coaleſcere in unam
Convenienter & inter ſe connexa ligari
Per ſe fortuitis potuiſſent motibus unquam,
Ni Chaos hoc ingens atque hæc variantia rerum
Suprema tum primum a Mente diremta fuiſſet
Formarum æterna ratione & lege ſuarum.
Nec ſic diverſæ poſſint res continuato
Ordine temporibus certis ſpatiiſque moveri,
Certaque Naturæ non unquam in fœdera ferri,
Ni vigil interea Mens excubet arce Pronœæ,
Inſtabileſque regat ſtabilis res, atque reducat
Sub leges per ſe pugnantem legibus Orbem,
Diſcordeſque liget concordi fœdere partes.
Præterea, Mundo fieri quodcumque videmus,
(Nubila enim fiunt & agentes nubila venti
Et tempeſtates cælo terraque coortæ,
Per campos late fruges arbuſtaque creſcunt,
Alituum proles generatur quadrupedumque
Necnon ſquammigerûm nec non ſerpentia ſæcla
Humanumque genus, ſic damna perennia vitæ
Ut poſſint auctu pariter reparare perenni:
Multaque de genere hoc nova mundo ſuppeditantur
Enaſcentia, uti lapſis ſuccedere poſſint)
Id rerum ſine motu infraque ſupraque meantum
Haud ullo fieret pacto: quapropter ineſſe
Corporibus debet motus, quando omnia motu
Naſcuntur, pereunt, mutantque locum atque figuras.
At motum hunc per ſe non poſſunt corpora habere,
Nimirum noſtræ quæ ſcimus corpora menti
Verti in notitiam non ullo prædita motu.
Sint ea magna quidem, ſint contra tenuia longe,
Ut libet, aut triquetra aut quadrata rotundave ponas,
Plena foraminibus multis condenſave; nunquam
Efficies, per ſe ſit ut illa neceſſe moveri.
Non ſe igitur poſſunt, alio niſi mota, movere.
At porro cauſam hanc motus fateare neceſſe eſt

Eſſe

Esse Deum, quoniam non possent illa moveri
Diversis translata locis, nisi semper ab illo
Diversis eadem illa locis servante creentur.
Quare cum peragi videamus cuncta movendo,
Omnis qui motus causa est, agat omnia, oportet.
  Hinc facile agnosces, quam scilicet avius erret,
Qui penitus nulla fretus ratione fatetur
Semina cunctarum per se genitalia rerum
Æternos ire in motus semota quiete,
Quique ea summaï partem contendit in unam
Ferri: at cur potius nullo impellente ferantur
Illuc, non alio, non partes undique in omnes?
Errat item his addens æterno ea percita motu
Sæpe in concilium genitale coire, suoque
Edere res omnes concursu, ut cæca tulit sors;
Nimirum sic & terram mare sidera cælum,
Quæ nos incolimus, quæ sic digesta tuemur
Ordinibus numeris, sine lege sine arte coorta
Tantum materiæ confuso conciliatu.
Quæ fieri si posse rear, num sanior essem,
Quam si posse rear fieri, quod nescius artis
Contrectans varios cæca quis nocte colores
Colludensve super puerilis dextera telam
Possit Apelleas casu simulare figuras,
Reddereque humanos vultus aut Numina Divûm
Sacras inter ebur gazasque locanda per ædes?
Possit item vocum, constat quibus Ilias omnis,
Fortuitis elementa modis congesta capaci
Projicere ex urna tabulam super, omnia ut illo
Sic coëant casu, ut versus ex ordine reddant
Mæonios, iramque trucem noscamus Achillis,
Hectoraque immani flagrantem Marte legentes,
Atque immixta dolis certamina Grajugenarum
In Trojam, Paridis quæ accendit perfidus ignis?
Non igitur, quamvis quoque multis semina rerum
Ex infinito ferrentur percita plagis
Conciliorum infinitum genus experiundo,

Un-

Unquam congruerent inter ſeſe ordine tali,
Qualem ſortita eſt hæc rerum Summa creata:
Qui queat ut fieri, rationem conſiliumque
Altius humano divinam denique Mentem
Poſtulat, ut penitus nulla erret ab ordine parti,
Quo neque per cœtus æternos deveniet fors.
Porro terraï num qua ſunt parte reperta
Edita fortuito concurſu particularum
Unquam Templa Domus Urbes atque Oppida multa,
Qualia viſuntur nimirum condita noſtra
Arte hominum? Quænam mirandum hoc protulit ætas?
Quiſve adeo inſanus poſſe hæc contingere dicat?
Ergo opera hæc hominum nequeat ſi denique cæca
Fors ſimulare, queat ſubito velut arte magiſtra
Id facere, humanam quo non pertingere mentem
Noſcimus? ipſa queat nempe hæc rationis egeſtas,
Quæ ratione quidem miramur condita ſumma?
Præterea in cœtum ſi ſemina convenientem
Sunt conjecta ſemel, cur tandem continuata
Ordinis haudquaquam diſcedunt a ratione?
Quodque ſemel potuit Fors, num ſemper ſibi conſtans
Efficiet? motum ſtellis ſervabit eundem?
Vere dabit ſemper flores de ſemine certo?
Plantarumque genus ſota tellure novabit?
Ut neque robora roboribus prognata vetuſtis
Diſtent, atque oleæ creſcat de ſtirpe virentis
Non ulmus non celſa abies non vitis Iacchi,
Aſt olea & ramis & trunco & fronde priori
Aſſimilis? nihil ut mentita immenſa vetuſtas
Sit rebus, quaſcumque novat? nihil innumerarum,
Quas Fors condiderit, rerum omni de genere unquam
Mutatum exierit de finibus, omnia quando
Fors incerta regit, quæ quanta vi peragantur
Conſilii, noſtra non eſt pertingere mente?
Aſpice præterea paſſim genus omne animantum,
Quotquot aquas cælique vias terramque frequentes
Concelebrant, quod opus! quanta ars elucet in illis!
Inſpice

Inſpice parvarum tam tenuia texta volantum,
Si tamen has ullis quis ſenſibus uſurpare,
Vermeſque innumero numero quoque lumina noſtra
Plane elabentes animo mirante recenſe:
Qui, quoniam vivunt, nervos & ſanguinem & oſſa
Fibraſque & venas debent & viſcera habere,
Non ſecus ac Elephas aut Bos aut fortis Equi vis;
Quas res in magnis adeo conſtare minutas
Miramur, neque noſtra imitari poſſumus arte.
Hunc igitur tenuem contextum, hæc corpora parva
Condere nec primo potuit fors, nec potuiſſet
Semper eodem eadem conſtans ſervare tenore.
Quare opus eſt etiam atque etiam fateare, quod omnis
Hæc rerum Summa a ſuprema Mente regatur.
  Hic tibi multa quidem falſo conficta feruntur:
Nam, quia dant motus occultis plurima cauſis,
Hoc genus eſt herbas de terra exire recentes
Poſt hiemem, æſtivis augeri a Solibus, & jam
Ætatis firmas maturæ ſumere vires,
Omnibus his terra ſuccos alimentaque rebus
Submittente locis aptis & tempore certo;
Exin Naturam nos appellare ſolemus
Communem veluti Matrem, quæ provida cunctas
Cum populis urbes plantaſque amplexa feraſque &
Squammigerum genus & volucres alit ubere multo;
Nec non & ſubter telluris viſcera lapſa
Flumina dat multis excurrere fontibus extra,
Succenditque locis multis ſola, condit & altis
Terraï procul uſque repôſta metalla tenebris:
Quin cæli magnas extenditur in regiones,
Sole diem & multo colluſtrat ſidere noctem,
Nubibus imperitat, ventos regit, aëra mutat:
Quin & gignendis genitalia ſemina rebus
Præſtat, vique ſua fœcundat, nutrit, & auget.
Quorum qui noſſet bene cauſas, eſſe pateret
Naturam (quamquam maternum nomen adepta eſt)
Nil niſi protelum cauſarum continuatum,

Quæ

Quæ per se facere haud quidquam potuere, sed omnes
A prima pendent Causa, quæ singula per se
Et movet, & facit, ut moveant; velut ipse catenam
Si parte ex una teneas, agitesque, necesse est
Annellos per pendentes ad cætera motus
Ordine demisso descendat, qui tamen idem
Ille erit, a dextra qui fit se sponte movente,
Quamvis per medios annellos manet ad imos.
Quin ipsum hoc, seriem quod dico continuatam
Causarum a prima, dici ne forte rearis
Propterea, credas revera in rebus ut illas
Esse; licet videantur enim res sæpe movere,
Haud tamen ut moveant, illis largita profecto
Vis ulla est; verum sancitæ a Numine leges
Cum poscunt motum, res quæque moventur ab Uno,
Quod primam dixi modo Causam; namque ita suêrunt
Dicere; cum certe non prima, sed unica constet.
Quare opus est, caveas, Naturæ ne tibi nomen
Sit fraudi, fuit ut multis, qui plurima rerum
Dum fieri in terris pariter cæloque tuentur,
Omnem vim rebus Naturam suppeditare, &
Omnia divino fieri sine Numine rentur.
Usque adeo ignaros abducit devius error.
Præterea ignotis causis quæcumque videntur
Incertisque locis fieri nec tempore certo,
Quæ possunt quoque diversa ratione geri res,
Fortunæ referunt. Quoties laudare secundam
Audivi Dites, & magnam dicere Divam
Marmoreis dignam templis & thure Sabæo.
Contra alii tristes in eam convicia jactant
Sævam appellantes excordem e semine diro
Eumenidum. Veteres illam cecinere Poëtæ
Incertam vultu pedibusque globosa prementem
Cumque suo ruitura volumina pondere, & orbes
Volventem ambiguos dextra lævaque rotarum,
Sæpe quidem multos opibus pollere docentes,
Ima qui nuper fuerant in plebe locati,

Et,

Et, modo qui magni Reges, vix jam ultima vitæ
Servare amiſſis aliis ſibi; diſcere ut inde
Poſſint non opibus non illi fidere regnis,
Ignotaque fati haud animum demittere terra;
Diſcere præterea, non hæc bona poſſe beatos
Efficere unquam homines, quæ puncto tempore poſſunt
Elabi, & vacuam potientis linquere dextram.
Illa eadem Aſſyriis quondam Perſiſque relictis
Et leviter Macedûm res pervolitavit & arma
Fertilis Ægypti, celerique citiſſima curſu
Regna peragravit Syriæ Boreamque nivalem
Algenteſque Getas & Mauros ſole peruſtos,
Et Latium Imperium provexit, & extulit alte
Denique de magno ruituras culmine Vires.
Nec tandem poſitis uſquam talaribus alas
Exuit, aut ſtabilem fixit manſura locum, quo
Exorata velit populis decedere nunquam.
  Hæc licet egregie vulgo diſpôſta ferantur,
A vèra ratione tamen ſunt uſque remota.
Omnis enim Mundo, quæcumque inopina videtur
Forte tibi res accidere, haud unquam quit oriri,
Rem niſi præcedat ſua cauſa; ideoque neceſſe eſt
Nil temere exoriatur, & intereat; licet ipſi
Nec quod principium quimus noviſſe ſit ortus,
Nec quæ diſcidium pariat res, diſſolüatque.
  Illud in his iterumque tibi eſt iterumque cavendum;
Dum moneo, ne quid Fortunæ fortuitiſque
Caſibus attribuas, ne te in contraria vertas,
Et Fatum in rebus non evitabile Fatum
Protinus admittas; ſemper florentis Homeri
Ut Muſa æternis exponit verſibus edens.
Pelides Socios mortemque ulturus Amici,
Quem bello ereptum flêrat noctesque dieſque
Inſedabiliter, dum fertur in Hectora magnum
Ære nitens ſupraque Viri caput arma coruſcans,
Accepit longam dextra omnipotente ſagittam
Juppiter & ſancta Aſtrææ præſcripta ſecutus

Hinc

Hinc atque inde pari intervallo fata Virorum
Utraque ſuſpendit viſurus, quem velit illo
Tempore Parca mori: tua ſed graviora fuere
Priamide infelix; Libitinæ in triſtia regna
Lanx tua non alio librata a pondere merſa eſt:
Eripere extremi nec te contra ultima Fata
Juppiter Omnipotens valuit de faucibus Orci,
Nec quotquot Trojam te Numina quotquot amârunt.
Quænam igitur Divis fuerit ſervata poteſtas,
Illos ſi ſupera Fatum eſt? cur magna vocentur
Numina, ſi multa invitis plerumque geruntur?
 Hæc leviora: etenim manifeſto tendere bello
Sæpe quidem multos videas in provida Mentis
Conſilia æternæ, atque antiquo more Gigantum
Conari rerum Dominum exturbare potenti
E ſolio, rapere & mundi quas flectit habenas;
Scilicet ut vita ſic liberiore fruantur
Impia Gens; tanta eſt ſceleroſæ audacia mentis:
Quod metuunt, tollunt Numen, longeve remotum
A noſtris arcent rebus nil ſcire volens, ne
Infeſtet dolor aut æternam cura quietem,
Ac ſi, quod Summum eſt poſſit non omnia ſcire,
Aut ſummam res ulla queat turbare quietem:
Juſtitiamque nihil rentur, niſi nomen inane.
Quod ſi Juſtitia eſt, dicunt, ſi denique juſtus
Rector agit Mundum, & noſtra hæc mortalia curat,
Unde erit unde, adeo ut vivant impune Nocentes?
Nec pro juſtitia merces aut præmia dentur
Ulla Bonis? quin paupertas durique labores
Hos ſæpe exagitent, contra felicibus annis
Exultent illi regnis auroque potiti?
Scilicet his cælum contendunt impetere auſis.
At veniet tempus, cum expertem conſilii vim
Diſcutiet Pater, atque æternum in Tartara mittens
Juſtitiam invitos coget regnare fateri.
 Attamen id ne quid noſtris rationibus obſit,
Contemplator, uti bene provida cura Medentum

Si

Si noſcat, quod pro morbi ratione modoque
Conveniens remedî genus, ut recreata valeſcant,
Corpora quæque velint, aliis dant pocula tetra
Abſynthî, aut acri ſævire in membra videntur
Præcincli ferro laniantes more ferarum;
At mites aliis ſuccos dulcemque liquorem
Nectareum & latices mellis lactiſque propinant:
Atque ea cura, etiam ſi poſſe valeſcere nullo
Quem videt auxilio, jactatum haud deſerit Ægrum,
Donec frigida mors languentes ſopiat artus.
Sic quoque fac reputes hominum mortalia ſæcla
Poſſe a ſuprema curari Numinis arte,
Dum vitæ celeres annos hic ducimus ægri;
Nam quis non animo morbis languente laborat?
Poſtquam autem functi vita frigentia terræ
Corpora liquerimus, tunc omnia denique reddi
Debent pro meritis, queis vita anteacta potita eſt.
Neu quis ab hac uſquam rationum indagine poſſit
Evaſiſſe loci, penituſque ex parte perire
Omni Hominem dicat, nihil ut ſuper illius extet;
Immortalem Animæ naturam ſimplicis eſſe
Nunc reddenda mihi eſt ratio: tu percipe dicta.
E parti naturam Animæ quacumque tuaris,
Nil illam, niſi rem quæ cogitat, eſſe videbis:
Nec recipit Mens poſſe aliud conſiſtere Mentem;
Sive ſit illa ſciens etenim dubitanſve volenſve,
Oderit, optet, amet, metuat quoque, gaudeat, atque
Triſtetur, ſemper tamen eſt, ut cogitet: illo
Tempore quapropter tantum, quo cogitat, extat
Mens tibi, quandoquidem hæc Mentis natura reperta.
Sed quædam tibi forſan in his quærenda videntur
Rebus, uti penitus, quod dico, agnoſcere poſſis.
Quæris, materno num clauſus cogitet infans
In gremio, ætheriis aut nuper redditus oris.
Tum porro, quanam fieri queat id ratione,
Ut noſtri, & quod tum, vere ſi cogitat infans,
Mente volutatum eſt, nunquam meminiſſe queamus.

Ut primum in parvos dispôsti corporis artus
Vis Animæ ingressa est, subito jam cogitat infans:
Sed quoniam propter novitatem corporis ejus
Et teneros artus & membra recentia (sensus
Res extra facile ut possunt impellere) semper
Rebus ab externis impellitur atque movetur,
Percita Mens illo motu impulsuque tenetur,
Nimirum semper sentire coacta dolorem
Sive voluptatem vario pro corporis ictu:
Propterea esse sui compos, in seque redire,
Interdumque vacare sibi nequit. Humida mollis
Porro materies vestigia nulla cerebri
Pressa tenere valet, velut undæ inscripta fluenti:
Proin nostri rerumque, in parvo corpore quas tum
Gessimus infantes, nunquam meminisse valemus,
Atque illis vere sine mente videmur in annis.
Est etiam Mens sæpe Virûm quoque florida ut intus
Evanescere, & extra se videatur abire:
Et, cum vi concussa aliqua mox se ipsa recepit,
Conscia nullarum rerum, quas volverit, illo
Nil egisse recordetur se tempore, nullos
Sopito motus animo sensusque fuisse.
Id fit, ubi rerum multarum copia multa
Multimodis animo simul obversatur oberrans,
Atque levi quævis impellit tenuiter ictu;
Quamque nequit tum Mens proprio cognoscere sensu
Pro numero ingenti; neque menti singula præbent
Distinctam effigiem, possint advertere ut illam;
Sed confusa videns simul omnia cernere sese
Nil putat, atque ideo velut evanescit, abitque,
Ut queat intra se nil tum volvisse videri.
Quapropter ratio est hæc semper vera, quod omni
Tempore, quo Mens est in rebus, cogitet: & ni
Cogitet, existens nulla ratione videri
Possit; quandoquidem hæc ejus natura reperta est.
Quod superest, corpus, quod supra diximus esse
Patribus extensam multis rem per loca multa,
Quam-

Quamlibet exiguum nulla ratione profecto
Jam poterit simplex fieri Mens, atque Animaï
Verti in naturam, & sic res quæ cogitat esse.
Namque quod extensum est, partes invertere, formam
Et variare situm, varios quoque reddere motus,
Augeri minui scindi valet, adde alias res
His similes: at qua ratione & quousque secari
Debet, quos unquam motus dare, seque figuras
In quas vertere, uti possit, quæ cogitat, esse
Mens, & notitia Veri potiatur & Æqui,
Et Summum Pulchrumque intelligat, Ordinis atque
Justitiæ leges agnoscat, gaudeat illis,
Falli indignetur, flagret virtutis amore,
Sidera mensuris cælique coërceat orbes?
Adde alia ipse etiam, Mentis ratione geri quæ
Cumque vides: non est ut possis credere non est
Posse eadem extenso peragi hæc a corpore, sic ut
Corporis atque animi natura sit una eademque.
Quare Mens non est corpus neque corporis ullus
Est modus, ast longe differre ab utroque fatendum.
Hinc tibi perspicuum est, grajo qui nomine Mentem
Harmoniam dicunt, procul usque per avia ferri
Diversos: quid enim est habitus nisi corporis illa,
Partium ubi inter se nexarum consonat ordo?
At quocumque modo partes connectere pergas
Corporeas, semper distare a Mente necesse est.
Non igitur, vivum corpus quia definit esse,
Æternos nec tale potest durare per annos,
Mens, erit, ut pariter finito tempore constet,
Et longo extingui tum demum debeat ævo.
Præterea mors est, seu cum revoluta perit res
In nihilum penitusque a nulla parte superstes;
Seu cum disjunctis inter se disque solutis
Partibus illius congressus disperit omnis,
Constitit unde aliquid jam totum: tertia mortis
Nulla via est. At Mens quoniam est a corpore longe
Distans, extensam pariter non esse probatum est

Partibus aut ullis constantem compositamque.
Non igitur poterit corrumpi, dissolüique
A rerum plagis neque longo vincier ævo.
Dicere at, in nihili quod nostra redire profundum
Debeat exacto tandem Mens tempore vitæ,
Desipere est. Quid enim sic omni ex parte peremtum
Occidit usque adeo penitusque revertitur in nil
Rerum natura ex omni Summaque creata?
Quod si Summa manet rerum omnis corporearum
Morte carens penitus, tanto magis inficiandum
Debere omnem Animæ naturam nobilioris
Deficere & penitus letho cessare peremtam.
Namque ea non alia posset ratione perire,
Quam si nunc Animam esse volens divina Potestas
Mutetur porro, & ne sit, velit, atque ideo Mens
Concidat in nihilum: sed supra ostendimus esse
Nos tibi quandoquidem per se immutabile Summum,
Certe erit haud unquam verisimile esse putandum
Id summa voluisse Deum virtute creare,
Tempore post parvo quod dein dissolvere vellet.
Nos iterum atque iterum Mentem quapropter oportet
Æternamque putare immortalemque futuram.
Porro cur vitæ frustra felicis amorem
Inseruit Natura animis nil provida nostris,
Cur Veri desiderium succendit inane,
Si ruit in nihilum vita privata futura
Mens votis frustrata suis? hic namque, quod optat,
Anxia quo ingenti trahitur dulcedine, Verum
Invenit haud unquam; qua pleno flumine manat,
Attingit modice, & sitiens conviva recedit,
Nec pariter felix valet esse, ubi tempore parvo
Deficiet: quid enim felix, nisi constet in ævum?
Indidit hoc etiam nobis Natura, velimus
Semper ut æterna per terram vivere fama.
Nosne Deus semper Naturaque luderet istis,
Deberet penitus si extingui morte sua Mens?
Præterea illa animis unde insita pœna Nocentum,

Quæ miseros, quamvis metuant hic nulla Potentes
Supplicia, & luxu regali corpora curent,
Attamen heu miseros torquet noctesque diesque,
Unde erit? unde sibi mens conscia dissonet illi
Fortunæ, & veluti districtus pendeat ensis
In caput, inter opes ea tetro angore laboret?
Nimirum quia nos agnoscere præque videre
Ipsa facit Natura, quid hæc post fata futuro
Pro vita ânteacta cujusque paretur in ævo.
Adde Viros, sanctæ qui Religionis amore
Justitiæque truces iras odia improba sæpe
Exhaurire Tyrannorum potuere ferendo
(Audaces solum hic, timidi sed cætera) : tantum
Num foret angusto positum sub pectore robur,
Omnem deberent uno finire sub ictu
Si vitam, neque prospicerent, quid deinde merentes
Perpetuo maneat vitæ immortalis in ævo?
Denique nullus erit, vel in hac imponere tentet
Re sibi, cui lucro est Animam quoque morte resolvi,
Nullus erit, qui non Naturam vociferari
Audiat intus, uti, cum avulsa a corpore fatis
Mens erit, æternum tum debeat ipsa manere.
Nec potuisset idem tacite omnibus insinuare
Usque sibi concors Natura, errore nisi omni,
Nimirum quod nos semper docet illa, careret.
Scilicet emissas nervo stridente sagittas
Unam si videas semper contingere ferro
Omnes rem, dubio procul esse fateberis illam
Erectam in signum, quo ferrum missile tendat.
At pueris, inquis, pariter cum corpore crescit
Mens, & ubi vires firmat robustior ætas,
Consilii constans etiam illa animique vigore est:
Obtusis demum quassati ubi viribus artus
Jam cecidere senectutis sub mole labantes,
Deficit Ingenii vis, & Mens lapsa senescit:
Haudquaquam videas rationum id demere pondus,
Fœdere si tali Mentem cum corpore junctam

Agnoſcas, tali conſenſu, ſubſit ut omne
Imperio Mentis corpus, motuſque det illos,
Quos in membra Animæ velit exercere Poteſtas;
Inque vicem ſit opus Mentem ſentire valentes
Corporeos ictus, & ad omnes evigilare
Illius impulſus, ut talia cogitet ipſa,
Qualibus afficitur conjunctum fœdere tali
Corpus ab externis plagis: ideoque vigenti
Corpore Mens vigeat, languenti langueat illo,
Inde fit, ut, vini cum venas vis penetravit
Acris, & ardorem per cunctos dididit artus,
Sanguine turbato turbetur vis animaï,
Claudicet ingenium, madeat mens, impediantur
Notitiæ rerum cum libertate, neque ulla
Denique vi ſibi Mens conſtet, ſed ad omnia præceps
Id facere impellat, fieri quod non pateretur
Incolumis, retegat ſecreta, nefandaque prodat:
Uſque adeo vini vehemens violentia Mentem
Percutit interdum, brevis ut veſania fiat.
Hujus item rationis erit veſania jugis.
Adde gravis ſomnum lethargi, & cætera; quorum
Vis Animam & pariter corpus perturbat, ut acri
Jactentur pariter morbo, pariterque valeſcant.
Nimirum quia juncta ſuo cum corpore Mens eſt
Illa lege, pati plagas ut corporis omnes
Debeat, & motus ejus ſentire valentes.
Fœderis hanc legem, qua rerum diſcrepitantes
Sunt inter ſe naturæ per mutua nexæ,
Corpus uti atque Anima eſt, ſanxit Deus; unde habet omnes
Et ſenſus Anima, ipſa ſuos & corpora motus.
Sunt tamen hic, facili qui non ita tendere greſſu
Seſe poſſe putant, quo ſe puriſſima Veri
Oſtendit Regio; ſed ſentibus omnia duris
Aſpera confingunt, glomerantque per ardua greſſus
Difficiles, nimiumque vias ſcrutantur iniquas,
Qua vix ſint aditus ulli: res plena laboris
Errare ambageſque ſequi, res plena pericli eſt;

At

At contra pronum ac tutum decurrere recta.
Ergo hi non Animam jungi cum corpore rentur,
Non agere & fungi ſeſe inter poſſe viciſſim
Naturas tam diſſimiles, ſed quamque ſine ullo
Alterius reſpectu, & opis nullius egentem
Per ſe, quidquid agit, facere, & ſua munera tantum
Exercere, ut fert intus cujuſque poteſtas;
Dum vult nimirum, dum percipit ipſa ſua vi
Mens intus, proprios educit & elicit actus
Ordine perpetuo nexos, quem nulla poteſt vis
Vertere; namque ſtatu de primo, cum fuit orta,
Ilicet exoritur ratio, cur deinde ſequatur
Alter & hinc alter ſtatus ejus, & uſque perennis
Illorum ſeries certa ratione fluentum.
Quapropter nihil in Mentem de corpore migrat;
Nam ſi vel nullum corpus foret, haud minus illa
Omnia perciperet, quæ percipit, omnia vellet,
Quæ nunc velle vides, naturæ nempe ſuæ vi.
Præterea humanum componunt talibus illi
Corpus principiis, ut cætera corpora quævis,
Ollis ut per ſe quædam vis inſit agendi.
Ergo non alios motus fluere inde neceſſe eſt,
Verum quos tantum fluere inde videmus, eorum
Ut fert natura & contextus principiorum.
Scilicet in quovis ratio indita corpore quædam eſt,
Ex uno tranſire ſtatu qua' deinde per omnes
Ordine perpetuo ſe debeat excipientes.
Quare cum noſtro fiunt in corpore motus,
Ut cum oculos circum, ſeu crura manuſve movemus,
Tantum corporea a natura educier illos
Eſt opus, ut fierent Anima quoque ſponte ſine ulla.
Haud Animæ eſt igitur quidquam, dum talia fiunt,
Quamvis ipſa velit tum crura manuſve movere
Aut oculos; a ſe quia non hæc mutua pendent,
Sed ſimul exiſtunt tantum, recteque viciſſim
Reſpondent. Facile id fuit Olli, quem penes omnis
Rerum, quas fieri nil pugnat poſſe, Poteſtas

Infinitarum. Quapropter id eligit idem
E numero tanto, Menti quod conſonet apte,
Corpus; ut hinc motus ejus videantur oriri
Mentis ab imperio, rerumque a corpore naſci
Notitiæ, & partem noſtri ſe mutua quamque
Afficere inter ſe; cum nullum jungat eaſdem
Commercî genus & nullius fœdera legis.
 Quæ cum audis, licet in multis male tuta videri
Hæc poſſit ratio atque incerto pondere nutans,
Illa tamen vehementer ob id ſuſpecta neceſſe eſt
Sit tibi, quod tanto fuerit quæſita labore
Tam procul, & tantos per flexus ducta per orbes,
Ut ſe ipſa impediat facile, involvatque tenebris.
Nempe hic ingenium prius admireris & artem,
Ullam quam retegas ſpeciem aut veſtigia Veri,
Cujus forma quidem ſimplex ſe lumine prodit
Ipſa ſuo, quoties viſum convertimus illuc.
 Ergo harum Inventor rationum plurima profert,
Hoc genus, oſtenditque ſuæ par mentis acumen
Omnibus in rebus; ſeu cum probat omnia certis
Corpora principiis componi, quæ tamen ullas
Non habeant partes, natura at ſimplice conſtent,
Unde fluunt, quæcumque cluent in corpore quovis
Officia, atque illis, qua fiant ſingula, agendi
Eſſe poteſtatem quandam, ſed cuique ſuam, ne
Sint prorſus paria, at varie diſcreta viciſſim,
Ut numeri, inter ſe; varias componere poſſint
Ut rerum formas, neque poſſint incolumi re
Permutari, & eundem in ea ſervare vigorem:
Seu probat ille etiam, hæc magni cur machina mundi
Non melior, quam ſit, queat eſſe; educere Numen
Nempe aliam ſi tum potuiſſet, pulchrior iſta
Quæ foret, hanc ipſam, abjecta meliore, quid eſſet,
Cur legeret? neque enim Ratio ſecus ulla videtur
Eſſe, ut ſufficiat: metiri hac omnia debent,
Hæc illi ad Verum via, & hinc certiſſima rerum
Argumenta petit; reddi hac tum denique retur
Pervia

Pervia quæque suæ divina humanaque menti, &
Quæcumque in mundo constant, quæcumque vel extra.
Sed jam digressum paulum in mea claustra necesse est
Me recipi. Ergo inter corpusque Animamque vicissim
Fœdera sunt, ut jam docui, quibus uniter aptæ
Res tam dissimiles consistunt; pacta nec illis
Sunt ea; sed, cujus nequeant vim solvere, legem
Hanc primo accepere a Numine, quod magis arcte
Junxit utramque, lapis lapidi quam jungitur ullus.
Tantum nam lapidem lapidis pars extima tangit
Parte sui extrema tangentem, cum tamen extra
Corporis alterius molemque locumque sit alter.
Ast ulla in vivo nusquam est pars corpore, Menti
Quæ non jungatur; quoniam quacumque ciebis
Corpus parte, novo subito Mens percita sensu
Et perculsa, illam plagarum corporis ad vim
Vertit se, multumque agitata a parte tenetur:
Idque alia longe ratione, ac sæpe tuentur
Rectores fractum puppis latus, illa minaci
Turbine si dudum quassata & fluctibus atris
Hiscat aquas sorbens, seu cursu naufraga cæcas
Incidat in Syrtes, scopuloque hærescat acuto:
Experietur enim tum sensum Nauta doloris
Illi dissimilem, proprium cum vulnere corpus
Perculsum est, & sanguis aperto exundat hiatu.
Præterea quoque scire licet, quod vivida pars est
Corporis, ad sensum proin & magis apta ciendum,
Sive voluptatis sensus sit sive doloris,
Quæ fibrisque magis constat nervisque referta.
Ac veluti arborei de trunco & stipite rami
Proveniunt, sic & de humenti tota cerebro
Copia nervorum partes in corporis omnes
Diffusa est, longoque extenditur undique nexu
Infima conjungens summis animæque fovens vi.
Nam si de cerebro in certam commercia partem
Impediantur, opus, non sensu polleat ullo
Pars, erit, ac si sit præcisa a corpore toto.

Qua-

Quapropter liquido deprendis, vita quod omnis
Corporis & ſenſus fons omnis principiumque
In parvo capitis media regione cerebro
Inſit; proinde magis Mens illa parte tenetur:
Sentit, & externos impulſus excipit illic,
Illinc, quos libuit, motum diſpertit in artus.
Quare Animæ eſt ſedes cerebrum, a quo ſenſus in omne
Defertur corpus diffuſis undique nervis.
  Quapropter jam multa vides communia habere
Inter ſe Mentem corpuſque, ut cernere lucem eſt,
Tangere, odorari, atque cibos guſtare palato,
Et ſonitus audire: tamen diſcrimen id extat,
Illa omnem ſenſum quod poſſidet intus eorum,
Perque oculos aures linguam nareſque manuſque
Guſtat, odoratur, videt, & contingit, & audit;
At corpus ſenſu caret omni, & non alia re
Fungitur, in variis varie quam partibus ictum
Quod moveat varie quoque Mentem, quæ varianti
Percipit idcirco ſenſu, quæcumque laceſſunt.
Nam ſi mente movens quædam penituſque revolvens
Magnopere intendas animum, nil cernere eorum,
Quæ poſita ante oculos tibi erunt, nil tangere circum,
Non audire leves ſonitus non murmura vulgi,
Denique nil tibi tum ſentire videberis, aures
Quamvis excipiant ſonitus, rerumque coloret
Lux oculos, manibus quamvis obſtantia tangas,
Idcirco quia non illis eſt percita rebus
Mens, ad quam ſenſus, quicumque eſt, pertinet omnis.
  Ejus item rationis erunt timor ira voluptas
Et genus hoc aliæ res, quæ corpuſque animamque
Afficiunt una, ut poſſint utriuſque vocari.
Illa etiam rerum retinentia, quodque valemus
Eſſe diu memores, poterit commune videri.
Omnia quæ mihi qua fiant ratione modoque,
Cum res poſcet, erit clarandum. Plurima vero
Expers corporeo per ſe gerit auxiliatu
Vis Animæ intra ſe, nam per ſe intelligit, & vult.
Vult,

Vult, & amat ſummum, quo felix poſſit adepto
Eſſe, Bonum, ſequiturque ſuum, quem condita propter
Eſt, Finem, atque ultro ſequitur, ſed amare neceſſe eſt.
Prætereaque, ut amet ſeſeque ſuumque, neceſſe eſt,
Eſſe; ſine his quoniam finem non poſſit apiſci
Illum, ubi ſumma Boni ratio eſt, quod oportet amare.
His contraria item rationem propter eandem
Debes, non poſſit quod non odiſſe, fateri:
Nam tum ſumma mali ratio eſt, cum diſtat ab omni
Quid penitus regione Boni, ſummeque remotum eſt.
At quod ſe mediis interferit intervallis
Hinc atque hinc, neque ſic rationes oppoſitorum
Attingit, totum videatur ut unius eſſe
Extremi alterius ſaltem ſine particula, illud
Nolendi contraque volendi erit uſque poteſtas,
Pulchro appellamus quam nomine Libertatem,
Mentis & Arbitrium; cujus ſibi conſcia Mens eſt
Talibus in rebus, quas ſummi utriuſque locatas
Inter diſtantes metas bene novimus eſſe.
Cum volumus quid eorum, opus eſt, ratione velimus,
Qua bona ſunt; contra, cum quid procul averſamur,
Ad mala reſpicimus. Sed qui ſit denique rectus
Arbitrii circa res iſto de genere uſus,
Supremo tibi poſterius ſermone probabo.
Hoc modo dum teneas, Animæ quod motus in illud,
Quod ſummum eſt plerumque Bonum, ſit noſtra Voluntas,
Qui veluti ceſſare nequit, ſic velle neceſſe eſt
Semper; at hunc varie nimirum inflectere nobis
Poſſe datum eſt, varias atque in res irrequietum
Dirigere, ut libuit: nimirum hæc inſita vis eſt.
Hinc Animam agnoſces raſæ non eſſe tabellæ,
Ut dicunt, ſimilem, quæ nullam geſtet ab ortu
Impreſſam rerum ſpeciem, nullamque receptet
Notitiam ſenſu ſine corporis, unde figuret
In varias porro ſe formas. Scilicet ipſa
Multa etiam per ſe ſine corporis auxiliatu
Novit, jam prima ſignavit origine quorum

Illam

Illam notitiis, illam qui condidit, Auctor.
Principio, (quis enim lateat se?) quæ sua, novit,
Sit natura sibi per se manifesta; neque ullis,
Quam sibi sit, præsens magis & magis intima rebus
Esse potest; ideo specierum hic corporearum
Non eget auxilio: tum porro novit & illa,
Quorum in se formas habet, e quibus omnis aperte
Notitia exorta est; atque hac ab origine rebus
Nomina dat, quæ si numeris atque ordine constent,
Non alia Pulchras poterit ratione vocare,
Quam quod conveniant Formæ, quam continet in se.
Quid sit item Verum, cognosceret unde? nisi intus
Secum ortam Veri speciem cohiberet, ut illa
Notitias inter se jungat convenientes;
Contra, quæ nequeant bene consentire, resolvat.
Omnia corporea quæ non in imagine fiunt
Per sensus; quoniam neque sunt extensa neque ulla
Prædita corporea forma motuve, sonanti
Nec sunt natura neque lucis tincta colore
Duraque: ut hinc possis comprendere plurima mente
Cognosci sensum licet haud transmissa per ullum.
Notitiane Sui quoque non signaverit, illam
Qui formis rerum ditavit pluribus, Auctor?
Quiq; sua, fecit, videantur ut omnia luce,
Ipsam non dederit Mens lucem ut cernere possit?
Proinde potest etiam naturam agnoscere Summi.
Non tamen hinc credas posse id comprendere Mentem.
Non secus ac, quæ sit triquetra aut quadrata figura
Sive rotunda, tenent omnes, clareque scientes
Percipiunt; sed non omnes, quid quamque sequatur
Naturam, agnoscunt, (esse hoc comprendere dico)
Ex infinitis, possunt quæ ad quamque referri,
Quæque fluunt de natura cujusque: sed horum
Plurima Mensores quamvis non omnia dicunt;
Non igitur penitus comprendunt: propterea que
Noscere multa, licet non sint comprensa, valemus.
Non erit ut summi naturam Numinis ergo

Mens non ſcire queat: quamvis comprendier ipſum
Mente ſua evaleat tantum, cui ſcena capaces
Ante oculos Summi patefacta eſt funditus omnis.
At nos Naturam tantum cognoſcimus illam.
Eſt adeo præſens Animæ Deus, ut neque poſſit
Extra ipſum penitus Mens vivere noſtra, neque eſſe.
Scilicet ille ſuo circum ambit lumine totam
Colluſtrans, denſaſque infuſa luce tenebras
Ejicit, & Veri fontem dat origine prima
Omnis ſe Veri fontem reperire volenti
Quærentique Animæ. Neſcit Lux illa latere,
Ingrediturque volens, & aquarum divitis inſtar
Fluminis exundans oculos rigat, implet apertos.
Atque utinam altius evectos audacia felix
In Solem hunc oculos converteret, unde fluentes
Exciperent radios & puræ fulgura lucis,
Nec ſic noctis amans & prona jaceret humi Mens;
Quæ quia corporeæ eſt incluſa in carcere molis,
Nocte tenetur in hac ultro, ſequiturque tenebras,
Et magis atque magis loca caligantia quærit
Indupedita ſuo cæcarum errore viarum.
Infelix! cæli interea neque ſuſpicere audet
Templa ſerena, neque illius vim ſuſtinet almæ
Lucis ſueta inopem trahere in caligine vitam.
At non cum primo naturam conderet ejus,
Aſſimilemque ſibi Numen puramque crearet,
Et magis atque magis quæ ſupra corporis omnem
Naturam excellat, tam dura lege putandum eſt
Illam corporeis voluiſſe involvere vinclis;
At Dominæ voluit famulari corpus & omnes
Corporeos ultro motus parere jubenti.
Namque ea juſtitiæ vis eſt, is debitus ordo,
Ut quod naturam eſt ſortitum nobiliorem,
Præſit, ſubſit item melioribus omne, quod infra eſt.
Quapropter quoniam non tali lege creatam
Dicere fas, quid jam ſupereſt, niſi ſolvere pœnas,
Dicendum, quas proinde aliquod ſcelus eſſe ſecutas

Eſt opus? at nullum potuit ſcelus eſſe, niſi omni
Parte recuſârit ſeſe illa, ut poſtulat æquum,
Subjicere Auctori: quæ ſic violaverat ergo
Sanctas juſtitiæ leges æternaque jura,
Par erat, ut meritas damnata a legibus iſdem
Perſolvat pœnas; nimirum ut noſtra potenti
Auſa fuit Mens a Domino deſciſcere velle,
Sentiat ipſa ſua ſic a ratione rebelles
Corporeos motus, neque iis dominetur ut ante.
 Scilicet antiquæ luimus contagia culpæ.
Primorum hoc Hominum tum mundi in origine crimen
Heu! fuit, unde omnes nativo corpore creti
Naſcimur. Hi ſortem vitæ tenuere beatam,
Integra adhuc dum noſtra fuit natura ſub ortu.
Libera tunc Animi regnabat in omne poteſtas
Corpus, & hoc totis parebat partibus uni,
Fibræque nervique atque edita clauſtra cerebri
Et tenuis puri vapor almus ſanguinis omnis
Nil inconſulta tentabat Mente, neque ullos
Non mandante Anima motus dabat, extera quamvis
Multimodo rerum facies impelleret ictu
Corpus, ut hinc ſenſu poſſet variante moveri
Mens intus, ſi vellet, & hinc ſentire dolorem
Sive voluptatem pro plaga & frigora & æſtum.
Omnia quæ nullo vitabat libera niſu
Uſque adeo, nil ut plagis aut ictibus ullis
Divinæ poſſet vel paulum Lucis ab hauſtu
Lucis inoccíduæ turbatam avertere Mentem.
Propterea tum plena fuit Pax plenaque Pacis
Gaudia; Seditio Diſcordia Bella Tumultus
Tum neque nomina erant neque in ullis cognita rebus.
Felices! donec, ſcelus o! tetigere proterva
Poma manu, Pater ex omni quæ veris honore,
Scilicet ut poſſent aliqua parere, vetabat
Multa minatus. Ab hac prima tunc labe repente eſt
Perpetuum corrupta omnis Natura, ſuoque
Concidit e decore: hinc prorſus verſa omnia retro
Ilicet,

Ilicet, omnia mutata confusa figura.
Tum primum Mens corporeo se carcere sensit
Invitam includi, nec jam dominarier intus
Omni Reginam imperio, velut ante, potentem;
Erepta prope sed jam libertate triumpho
Captivam indecori trahier plerumque, rebelles
Cum Dominam invadunt vi multa immanibus ausis
Corporei motus, oriturque miserrima contra
Seditio & bellum magno turbante tumultu.
Iam nunc illius vitæ sortisque beatæ
Heu! neque reliquiæ superant: quin ipsa vetustas
Invidit feris dilecta Nepotibus arva
Elysii antiqui; fines disjecit, & altos
Confudit campis montes & vallibus agros.
Ipsum etiam Fontem, mediis qui maximus arvis
Ingentes quatuor diversis partibus amnes
Telluris magno e gremio atque undantibus antris
Fundebat ditem stringentes gurgite terram,
Abrupit: prisca cessere ab origine longe
Discreti inter se fluvii & capita altera aquarum
Sortiti. Euxinas propior jam Phasis in undas
Volvitur irrumpens, atque auri dives Araxes
Divitias jam non ab eodem fonte receptas
Defert se Hyrcanum evolvens devexus in æquor:
Jam caput Euphratis nascenti a Tigride longo
Terrarum spatio discluditur; undique magnis
Exinde errantes huc illuc flexibus ambo,
Tandem haud immemores veteris sese inter amoris
Junguntur cursu extremo, sociantque fluentes
Undas dein uno properantes effluere alveo.

LIBER SECUNDUS.



UAVE peregrinas Gentes atque extera Regna
Trans mare trans montes mutato visere cęlo,
Egregiasque Urbes lustrando atque Oppida multa
Et monumenta Virûm & Populorum ediscere mores.
Suave etiam, quibus hæc visendi externa potestas
Deficit, ex fastis Veterumque annalibus omnes
Transactæ ætatis res noscere gestaque Regum
Bella & fortunas & quis datus exitus armis.
Sed nil suavius est, humili quam assurgere terra
Altius in cælum, nullaque a parte tenere
Interclusum Animum, qui libertate sua se
Undique victor agat, totumque feratur in Orbem,
Imaque summaque & in medio quæ pôsta revolvat,
Atque alium intra se similem comprendere Mundum
Possit, eumque pari hoc exemplar grande secutus
In partes ratione suas disponere pergat.
Præstat enim longe divinam Numinis artem
Scire tibi, quam quid transacti temporis ævo
Induperatores magni fecisse ferantur
Sive Virûm validis cum millibus atque Elephantis
Fluctibus in mediis belli, seu pace vacantes.
Nam cum suspicimus rutilantia sidere multo
Templa super Solisque vias Lunamque meantem,
Et venit in mentem causarum atque ordinis hujus,
Omnia tum, vulgus plausu quæcumque secundo
Excipit, evictos Populos diffusa per Orbem
Imperia & Regum vires titulosque Potentum
Marmoreas etiam moles laqueataque tecta,
Hæc, inquam, nihilo tunc sunt miranda magis, quam
Quæ Pueri peragunt ludentes, ædificantque.
Præsertim cum nos æternæ munere Mentis,
Qua genus omne caret pecudum, ditârit amicum
Numen,

Numen, quid facere hic pro tali denique oportet
Natura? num divitiis certare parandis
Noctes atque dies? infestumne ambitionis
Luctari per iter potius, quam exordia rerum
Dispicere & causas, qua quid ratione geratur,
Et lustrare plagas Mundi, & deferrier illuc,
Unde gradus summam ad Naturam pervius extat?
Nunc age, quo pacto Summaï totius Omne
Digestum, & qua hujus possint ratione videri
Connexæ partes inter sese atque locatæ,
Ut sic astrorum concursus tempora motus
Annorumque vices tempestatumque reduci
Ad proprias valeant causas, atque omnia consent,
Expediam: tamen ante tibi memorare juvabit
Quædam, quæ cunctis præmitti postulat ordo:
Nimirum, quoniam naturam corporis esse
Diximus extensam, quæ restant, percipe porro.
Et primo triplicem mensuram poscere corpus;
Nam triplici extensum quodvis ratione necesse est,
Scilicet in longum & latum atque excurrit in altum.
Quare ubicumque triplex fuerit mensura, fatendum est
Corpus id esse, licet minimum; velut haud minus aer
Illud erit, parva possis quod claudere testa,
Quam quod in immenso circum diffunditur orbe.
Nec magis extensum est corpus, cum rarius extat;
Rarius est etenim, laxata foramina cum plus
Aëris accipiunt, & plus disjuncta recedunt:
Densius at contra fit, cum minus intus apertum
Contraxitque vias, aurarumque expulit extra
Naturam: proin corpus idem conservat eandem
In se materiem, semperque intrinsecus æqua
Mensura extendi rarum densumve necesse est,
Namque eadem ejusdem mensura est materiaï.
Id tibi ut exemplo confirmem; spongia multa
Plena tumescat aqua; quamvis majoribus illa
Extendi tum forte locis videatur eo, quod
Lympha recepta intus juncta intervalla relaxat;

At præter ſpatium, liquido quod corpore lympha
Obtinet, extendi paribus loca, ut ante, videbis,
Spongia quæ replet, menſuris: propterea que
Non tibi majus erit corpus, cum rarius extat,
Nec minus extenſum, cum laxa foramina junxit.
Corporis & ſpatii porro ſunt nomina quanquam
Diverſo diſtincta ſono, tamen una utriuſque
Eſt natura, utrumque ſuis quia partibus eſſe
Extenſum pariter ſenſuque & mente videmus.
Quod magis ut liquidum fiat, facilifque ſequatur
Hæc mea dicta fides, rem ſic oſtendere pergam
Exemplo lapidis: fac, ut illi mente rigorem
Demas; corpus erit tum molle, ut mollia multa
Corpora ſunt: ullo porro ſine finge colore;
Corpus adhuc remanebit, ut undæ corpus & aër:
Dehinc ſine pondere eum demta gravitate recenſe;
Corporeamne minus tum, quam levis ignis, habebit
Naturam? frigus quoque tolle, & tolle calorem,
Atque alia e genere hoc, ſine queis permulta videmus
Mutata haudquaquam natura corpora dici.
Quid demum lapide ex illo remanere fatendum?
Quid? niſi quod ſpatium eſt, metiri quod valeamus.
Et quia adhuc corpus compellimur eſſe fateri,
Propterea ſpatii natura & corporis una eſt.
Proinde videre licet non mixtum rebus inane;
Nam foret extenſum, ſpatio quod convenit atque
Corporeæ pariter naturæ: ergo omnia plena.
Si porro nihilum eſt illud, quod inane vocamus,
Nec valet extendi nihilum (nil convenit illi);
Quandoquidem nuſquam, qui non extenditur aptus
Menſuris, locus eſt, nuſquam reperitur inane.
Neve putes clauſum vas omni corpore poſſe
Intus inaniri ſpatio tamen intercepto;
Nam ſi, quidquid id eſt, inter latera intima tollas,
Nil tum proinde, quod interſit, ſuperare neceſſe eſt,
Propterea ſpatio quoque, quod fuit ante, vacabit.
Quapropter laterum coëuntes undique coſtæ

Jun-

Jungentur, quoniam medium nihil esse videtur.
Nos tamen arbitrio vulgi persæpe vocamus
Illud inane, quod est sine re, quam debet habere:
Æquor uti vacuum est, cum nullo pisce natatur,
Aut Navis, si merce vacat; non plenior illa
Quanquam est, Eois intus si pressa laboret
Divitiis, quam si levis extet pervia vento:
Nam neque durities neque pondus corpora reddunt
Augmine majori, sed cum majoribus ipsa
Sunt extensa locis, spatiumque capacius extat,
Quod semper sibi par in navi constat eadem:
Semper propterea plena est, neque plenior unquam.
  Quod si forte aliquis non omnia plena reatur,
Corpora quandoquidem sine inani posse moveri
Non videt, a vera quantum ratione recedat,
Accipe. Progrediens quæ pes loca liquit, in illa
Confluit extemplo atque in eodem tempore pulsus
Aër, qui motum pariter suscepit eundem
Cum pede; & id tali fieri ratione videtur.
Aëra propellit motus pes anteriorem;
Ille alium præ se trudit, pariterque propinquum
Alter hic; & motu per plures continuato
Non recta sed circuitu celerantibus auris,
Fiet, uti moveatur & aër, posteriorem
Qui tangit, sequiturque pedem, sed tempore eodem.
Haud secus ac gyros intra se ferreus orbis
Cum peragit, pars una locum quem linquit, eundem
Protinus altera succedens pars obtinet ipso
Tempore. Quapropter sine inani corpora possunt
Ire suos varie in motus, semperque cieri.
Sic mare per vitreum possunt procedere pisces,
Et mutare locum circum refluentibus undis,
Qua liquidas fecere vias; sint omnia quamvis
Plena, neque idcirco privandum est corpora motu.
  Illud in his rebus mihi ne contendere pergas,
Corporis ullius non sic potuisse coire
Implexas partes inter se, unaque teneri,

Quin sint intermixta foramina multa viæque
Exiguæ quamvis rerum inter texta relictæ.
Sponte tibi hoc possum concedere, nec mea proinde
Victa labat ratio, supera neque dicta vacillant:
Intervalla etenim multo subtilior aura
Ingressa est, repletque vias cujusque figuræ
Multimodis varians: fieri quod posse patebit,
Si tibi firmâro, quod non videatur habere
Ullum corporibus finem Natura secandis.

Nonne, quod extensum est, (ut corporis esse probavi
Jam tibi naturam) ratio cujusque receptat
Posse suas scindi in partes, quas debet habere?
Tum quoque eas partes, longe tenuissima quamvis
Corpora sint, quis posse secari in bina negabit?
Inde alias aliasque pari ratione videbis
Frangi posse; etenim mediæ pars partis habebit
Dimidiam partem, neque mens præfiniet ulla.

Utque animo hæc possint facile insinuarier, audi,
Subjiciat nostris quoque quam subtilia multa
Sensibus, & quo res tenuet, quo dividat usque
Ante oculos Natura, vel illius Ars imitatrix.
Principio flavos Bombycum fila labores
Inspice, contineant quam parvo, si glomerentur,
Se contracta loco; cum quæ vix unius æquant
Grani pondus(eo metimur parvula), possint
Pene quater centum distendier exque plicari
Longa pedes; totque ipsa habeant, queis nostra minores
Cernere non valeant oculorum lumina, partes,
Ut vicies centum ad millenas perveniatur,
Nequaquam exhaustis numerandum restet & ultra.

Par auri quoque pondus(erit quod proinde videnti
Mole perexigua) tam longum ducere possunt
In filum Artifices tenuando, ut denique passus
Plus quam centum æquet, stadio & prope congruat uni:
Conspicuæque in eo quot erunt, tum conjice, partes,
Vel quot erunt, gracili argenti si inducta cylindro
Bractea sit fulvi, quod circum contegat, auri:

Atque

Atque ille interea per decreſcentia multa
Ærea tranſmiſſus perſæpe foramina magna
Ægre vi tandem (neque enim perrumpitur) uſque
Diducatur eo, tenui ut non craſſior extet,
Plurimus exornat Juvenum qui colla, capillo.
Non minus ipſum etenim ſupra diſtenditur aurum,
Continuoque ſuo nec vaneſcente coloris
Cortice candentem tegit involvitque medullam.
Scilicet hoc aurum phrygio deducere ritu
Per varios flexus non ceſſavere Puellæ
Arte in Arachnæa præſtantes, dum ſibi peplum
Circum oras fulvo decorant pallamque nitore,
Munera ſive aris laturæ corde prementes
Vota verecundo & tacita orantes prece Divos.
Aureus in tela Leo pellucente refulget,
Per cælum volat extenſis Avis aurea pennis,
Plurimus in pratis circum flos aureus exit.
Pingitur interdum quoque furtim languidulum cor,
Nimirum teneri percuſſum cuſpide Amoris,
Quod Juveni mittant blanda inter verba cupito.
Tum genus hoc ſalis eſt, pauxillum quamlibet ejus
Ut pondus ſub aquas, amplo quæ vaſe tenentur,
Immiſſum ſolvatur, in omnia diſque trahatur
Paulatim huc illuc intus loca, quaslibet undæ
Particulas certo contingens undique fuco;
Quandoquidem nulla eſt tenuiſſima guttula, poſſit,
Si bene pervideas, quæ non fucata videri;
Quæ non proinde ſalis corpuſcula multa receptet.
Præterea piper humectum ſi vitrea ſerves
Septa per, ut faciunt, noſtros qui cernere gaudent
Quæ ſunt infra oculos, animantum effervere ſæcla
Aſpicias, minimum genus horum ut craſſius extet
Si ſe mille etiam vicibus, vix æquet arenæ
Exiguæ molem: ſtabulari millia multa
Cuſpide acus tenuis valeant ſuper, & dare ſaltus
Huc illuc varios lati velut æquore campi.
Horum jam quid erunt venæ, quid ſanguis & oſſa,

Quid nervi fibræque, quid intima claustra cerebri?
Deinde & particulas his adde prope innumerales,
In quos (nec mora non aliqua est) abit unda, vaporum,
Unda licet perparva cavo conclusa metallo,
Quod calefactum igni gracili vomit ore strepentem
Alituum vim, quæ loca per diffunditur ampla
Aëris, & tenuis consit nubecula circum.
Adjice & immensas nocturna a lampade partes
Quæ saliunt cum luce, leves abeuntque per auras
Perpetuo fluctu, parvo ut vix tempore possit
Cera liquens flamma abrasa & tenuata videri,
Et tota lucis vim nocte per atria jactet.
Nonne vides etiam, cum thura adolemus ad aras,
Late per templi laquearia perque columnas
Perque tholum fundi fumos, & odora revolvi
Nubila per populum, cujus se millia in æde
Stipant, & portis prodire patentibus extra?
Denique perpetuum quod odorem e corpore fundit,
Succus uti florum & multarum expressus ad ignem
Herbarum, molles & quæ servantur ad usus
Unguenta, & patulas infesta ac tristia nares
Quæ tetro nidore gravique offendere possunt;
Sæpe ut solvantur languentia membra, suisque
Mens etiam sopita labascat sedibus intus,
Illo & præcipue Mulier percussa recumbat
Pallida, & e manibus teneris opus effluat olli;
Perpetuos, inquam, quod odorum emittere fluctus
Sentimus, spatiisque ingentibus omnia circum
Replere, & multos quoque non cessare per annos,
Ponderis amittit minimam vix denique partem,
Ut vel inexhausti scateat fons largus odoris.
His aliisque tuum permultis de genere horum
Exemplis animum ad rationes flectere nostras
Possim, ne finem in rebus se attingere speret.
Non tamen hinc ausim de partibus infinitis
Corpora vel parvo vel magno quælibet auctu
Constare, atque in eas quoque solvi posse docere.

Quis

Quis temere hoc, Superi, non audeat? Icariisque
Confisus pennis non alte corruat impar?
Quandoquidem Mentis longe finita potestas,
Infinitorum quæ sit natura, quibusque
Conveniat, si scire audax & quærere tentet;
Haud minus insano vexabitur acta furore,
Quam qui sublata cælum contingere dextra,
Aut totum se posse putet simul omnibus undis,
Quantus is est, late Oceanum exhaurire bibendo.
Non ideo tamen est frangendæ ut reddere finem
Possis materiæ, minimas neque fingere partes
In rebus solida constantes simplicitate,
Unde sibi avelli quidquam Natura reclamet.
Proinde nec est credas immixtum ut rebus inane,
Omnia ne variis plena undique motibus obstent.
  Namque in Natura motum quis perneget esse?
Qui si non esset, starent mare, flumina, venti,
Ipsaque iners Natura quiesceret, & genitali
Haudquidquam cœtu rerum fœcunda crearet
Principio; quidquam neque porro augere creatum
Posset: quæ fieri manifestum est; plurima quando
In summa rerum nascuntur, & edita crescunt.
Vere novo Tellus herbarum vivida mater
Profert res teneras, gremioque educit in auras,
Aptaque, uti crescant, paulatim alimenta ministrat.
Quare nonne vides Naturæ multa moveri
Esse opus omnino? sine motu ingloria staret.
  At porro motus fit, ubi vicina relinquens,
Quæque quieta manent, fingive quieta valerent,
Corpus finitimas transmittitur in regiones
Corporis alterius. Non uno sæpius una
Res est in motu: veluti cum Nauta cavatam
Impiger hac illac puppim superambulat, atque hæc
Interea vada salsa ruit, spumasque relinquens
Præcipitanter aquis volat alite percita vento;
Tum motu licet ille suo per transtra feratur,
Puppis fertur item motu, perque æquora currit.

Verior ille tamen motus, quo Nauta per altam
Progreditur puppim; nam, ſi conſidat acerna
Projectus tabulata ſuper, ſomnumque capeſſat,
Dum tamen & cælum permutat & æquora navis,
Expertem motu dicemus; puppis eaſdem
Quod partes reſpectat, & æque diſtat ab illis.
  Nec motum per ſe, quod primo in carmine vera
Oſtendi ratione, poteſt tibi corpus habere.
Et quem jam Deus, hoc mundi cum conderet Omne,
Materiæ impreſſit motum, conſervat eadem
Menſura in rebus; quidquam non deperit ejus
Scilicet e ſumma, non ullo creſcit adauctu.
Corpore pro vario quanquam variare videtur;
Ocyor in parvo fit enim, fit tardior idem,
Cum diſpertitur per magnum corporis augmen.
Omnis poſcit enim ratio, ut divina Poteſtas,
Quam ſupera oſtenſum eſt eſſe immutabile Summum,
Quem motum primo tum rerum effecit in ortu,
Legibus haudquaquam mutatis ſervet eundem.
  Has mihi nunc leges, quæ ſint, par dicere verſu,
Non alio, quam quem ſimplex Natura repoſcit.
Eſt ſuus in rebus decor omnibus & ſua virtus;
Nec, ſi parva nequit magnis contendere Cycnis
Voce ſua Philomela, minor tamen inde voluptas,
Dum canit, incuſſas ſilvarum commovet umbras:
Nec mihi Parrhaſium Latii nemus, Arcadicoque
Tum de colle minus Paſtorum docta Corona
Concinet, & plauſu vires animumque fovebit.
Legibus his certe conſtat Natura; nec illa
Eſt aliud, quædam legum quam viſque vigorque,
Quas primo in rebus ſanxit Deus, edita ut ortus
Viſere quæque ſuos poſſint, ſervarier aucta,
Poſſit & in Summa certus conſiſtere ut ordo.
  Prima tibi ante alias eſto lex; ſemper eadem
Corpoream naturam omnem ratione neceſſe eſt;
Qua ſemel extiterit, perſtare; nec excidere illa
Per ſe unquam externis niſi cauſis victa valebit.
Proinde

Proinde, quod immotum eſt, corpus ſervabit eundem,
Sic poſcit Natura, ſtatum, immotumque manebit,
Ut nunquam per ſe queat incipere ire repente
Externa ſine vi : contra ſi forte moveri
Incipiat ſemel, amiſſa mutare quiete
Haud poterit, donec ſiſtat vis extera, motum.
Quare ſeu corpus moveatur, ſive quieſcat,
Ejus ſemper iners per ſe natura videtur.
Sed quia nos cœco circumſtat corpore, in omne
Porrectus cælum, qui motibus officit, æther;
Et facit, ut deorſum ſe corpora quæque volutent,
Quæ ſiſtuntur, ubi in terram venere ruendo;
Propterea fit, uti videantur quæque moveri
Ingenitum ſeſe ſiſtendi propter amorem;
Natura rebus quem dicunt inſinuatum,
Quo placidam inveniant motu ceſſante quietem :
Nec cauſa fluere ex alia de montibus altis
Eruptos amnes, quos largis imbribus augent
Nubila rupta, niveſque tepenti vere ſolutæ,
Dum late infeſtant campos, ſtragemque propagant
Impete ſilvifrago; magnis ita viribus acti
In placidam properare videntur ſponte quietem.
Quod procul a vera quam ſit ratione repulſum,
Percipe. Tranquillæ res eſt oppôſta quieti
Motus, proinde nequit fieri ejus propter amorem;
Nec res ulla ſui valet in contraria ferri.
Præterea cur miſſa arcu ſtridente ſagitta
Evolat, & longe nervoque manuque relicta
Aëra ſcindit adhuc pennis, oculoſque fatigat?
Nimirum quia miſſa ſemel ſervaret eandem
Motus vim, & nunquam, ſi nil obſtaret eunti,
Deſineret ferri, quo tum manus impete jecit.
Non minus ad motum quapropter, nec magis apta
Corpora ad ignavam finxit Natura quietem.
Altera Naturæ lex eſt, ne materiaï
Pars quævis, cum mota cietur, debeat unquam
A recto per ſe deflectere tramite curſus;

Quan-

Quandoquidem ſimplex longe via recta breviſque eſt:
Gaudet enim brevibus ſimplex Natura, geritque
Per compendia res, ubi non eſt pluribus uſus.
Obliquo porro cum tramite mota feruntur
Corpora, continuis extrinſecus in diverſa
A rerum debent deflecti offenſibus, atque
A latere impelli, ut curſu decedere ſemper
A recto poſſint, & iter ſignare recurvum.
Quod ſi nulla foris res eſſet, cauſaque motum
Obliquans, quo cœpit, eo procurreret uſque
Materies; quæ cur partem ſe vertat in hanc, quam
Adverſam potius, nil intus habere videtur:
Quare opus eſt, teneat medium, rectaque feratur,
Si nihil obſit, & in diverſum cogat abire.
Neve meis quidquam poſſis diffidere dictis,
Tutemet acceptam circum aures tempora circum
Fundam volve manu; lapis ipſe feretur in orbem,
Obliquumque ſequetur iter, tamen uſque repugnans,
Vimque reluctantis ſentit manus; ocyus illa
Et quo circumagit fundam, vim fortior auget.
Laxata fac deinde pateſcat liber habena
Exitus; e funda tum protinus effluet ima
Erumpens, quo vis illum impulit ultima dextræ;
Nec poſt in gyrum ſed recta concitus ibit.
Quapropter, quantum eſt in ſe, Natura meatum
Rebus largita eſt recta regione viaï;
Corpora nec per ſe poſſunt obliqua meare.
  Denique poſtremam Naturæ percipe legem.
Corpus in alterius ſi corporis incidat augmen,
Tantum illi ſubito motus impertiet ictu,
Quantum hujus ſibi perdet: in æs lignumve rotundum
Ut globus incurrit cum ferreus, ilicet æri
Aut ligno partem motus largitur eandem,
Ipſo quam motus partem ſibi decutit ictu;
Semper enim motus ſummam cum ſervet eandem
Numen, uti docui: corpus non poſſe neceſſe eſt
Partem aliquam ipſius deperdere, totam alienum

Quam

Quam non in corpus tranſmittat; diminui nam
Eſſet opus quid de ſumma, quæ condita primo eſt.
Nec contra incipient tibi protinus ulla moveri
Corpora, tantundem quin perdant altera motus;
Nam ſecus illius manifeſtum eſt creſcere ſummam.
Attamen hæc ſemper, quamvis ſit, vera videri
Non erit ut poſſit ratio: ſunt multa profecto
Naturæ hic nobis ſpeciem quæ ſæpe videndæ
Præcludunt, gravitas velut ætheriæque poteſtas
Materiæ, qua cuncta vigent, obſtacula denſi
Aëris, & quæ poſt ictum reſilire repente
Corpora vis cogit, capere & diverſa viarum:
Scilicet efficiunt non hac ut lege ſoluta
Corpora ſint, verum ne nos poſſimus eandem
Interdum in vario rerum deprendere motu.
His bene firmatis jam rebus, ſcire neceſſe eſt
Te memorem quas ante alias, ut poſtulat ordo;
Namque aliis, quæ mox dicendæ cumque ſuperſunt,
Rebus iter ſternunt, & vim rationibus addunt;
Nunc locus eſt late per cælum & ſidera ferri,
Multorum ut ratio, peragi quæcumque videmus
Aſtra per & terras & mundi concava, conſtet.
Dum tamen in magni partes diſcurrimus orbis,
Naturam ante oculos, quæ condidit omnia, ſummam
Semper habe interea, & nunquam obliviſcere primam
Hanc Cauſam ſummeque bonam ſummeque potentem:
Ne quam mox fraudem metuas, dum magna videbis
Magna & pulchra nimis, quæ illius condita rerum
Sunt opera; quoniam & magnis majora videri
Hac poterunt ratione: quia illa condita conſtant
A Cauſa, longe quam debes poſſe fateri
Quid majus, quam nos pertingere mente queamus.
Quapropter ne te in promiſſis plura moremur,
Principio Solem & Terram Lunamque tuere:
Quæ nobis quanquam tria corpora magna videntur,
Attamen haud aliis, quæ ferri cumque tuemur
Per cælum, debes ideo majora fateri

Side-

Sideribus, quamvis hæc longe tenuia nobis
Parvaque demonstrent oculi : namque impare possunt
Mensura a terris distantia parva videri,
Quæ majora aliis multo sunt, magnaque contra,
Corpore quæ minimo constant; ut monte super quem
Conspicias si forte Virum procul ipse remotus,
Non illum Pueris te coram adstantibus ausis
Conferre & tenui constantem dicere mole;
Quanquam oculi & Pueris tibi monstrant esse minorem.
Quare vestiganda tibi est distantia primum,
Quæ sit ea a nobis ad sidera; quæ quia valde
Ad Lunam brevis est, neque cætera mole videtur
Luna sua tantum superare, exceditur ipsa
Quantum in mensuris spatiorum; nonne necesse est
Exiguam esse inter cælestia corpora Lunam?
Terraïque globum superantis corpora Lunæ
Comperies ratione pari multo esse minorem
Sole, minorem aliis, verum non omnibus astris.
  Protinus inter se quo distent ordine nosce.
Et primo Maja Geniti quod dicitur astrum
Nomine, Phœbeos vicinius aspicit ignes,
Quam Venus; illa minus te, Mars, a Sole recedit;
Juppiter at spatio distat majore; sed ipso
Longe Saturni est a Sole remotius astrum.
Quam colimus, Tellus Veneris Martisque locata est
Inter circuitus : at quæ sunt plurima toto
Præterea cælo, quæ sidera fixa vocamus,
Quam distent, ullis non est comprendere cuiquam
Mensuris : quoniam, quam distent corpora, pacto
Noscimus haud alio, quam si regionibus illa
Terræ e diversis pariter spectata videri
Diversa ratione queant; ut tempore eodem
Cum tuimur sed non ab eodem littore puppim
Per mare labentem, mihi fors respondet ad Austrum,
Fors eadem Eoas tibi visa refertur ad oras :
Proin notum spatium, quod nos interjacet, illi,
Quo ratis a nobis distat, conferre licebit.

Ve-

Verum e disjunctis ſed eodem tempore terris
Sidera conſpicimus ſi fixa, haud illa videre
Poſſumus aſpectus varia ratione; neque ullis
Propterea potis es notis conferre locorum
Menſuris ſpatium, quo ſcilicet illa recedunt.
Ipſum quapropter Terrai corpus ab ortu
Littus ad occiduum quam longe extenditur, omne
Si tibi ſidereis procul aſpiceretur ab oris,
Aut nihil aut tenui puncto par eſſe videres.
Non igitur poteris tam parvo a corpore Terræ
Metiri ſpatium, quo aſtrorum ſcena receſſit.
Et quis proinde vetet, falſique redarguat, illa
Pene infinitis ſpatiis disjuncta recêſſe?
  Proin quoque quis dubitet Solem, ſi deſuper altis
Longe a Sideribus ſpectetur, luce videndum
Obtuſa, neque majori fore lumine forſan,
Sidera quam a nobis ea quo rutilare videntur.
Et quia nunc Solem propria quis fulgere luce
Haud neget (unde etenim tam largi luminis illum
Acciperet fontem, quo terras aëra pontum
Irrigat, ut nunquam fulgoris deficiat vis?)
Sic etiam immenſo quæ ſidera plurima diſtant
A nobis ſpatio, tenui majora videri
Cum nequeant puncto, propria ſi luce carerent,
Languida reflexæ tranſmittere lumina lucis
Non poſſent tam longa per intervalla viarum:
At quoniam vivis tremere ignibus aſpiciuntur,
Scintillantque, ſuæ credamus origine lucis
Gaudere, & propriæ fulgorem emittere flammæ;
A nobis ut ſi, quantum Sol, omnia abeſſent,
Per cælum totidem Soles, quot nocte videmus
Sidera, perpetua rutilarent undique luce.
  Propterea vero ſcintillant alta tremuntque
Sidera (præſertim venti ſi magna ſerenam
Vis agitet noctem), quod concita multa per auras
Corpora, quæ tellus exhalat noſtra, vaporum,
Objecta tenui quantumvis mole, nitentes

Pau-

Paulum intercipiant, interceptoſque repente
Reſtituant radios & puræ fulgura lucis:
Atque ita nos inter, cælumque fluentia fluctu
Perpetuo tremuli, faciunt, videantur ut ignes,
Qui late toto diſpergunt lumina cælo.
Scilicet hinc clara conſtat ratione probatum
Sidera non tenui puncto majora videri.
  At quia tantum illa Lunam fulgere tuemur,
Qua Solem de parte videt, fateare, neceſſe eſt,
Eſſe Nothon; propriam neque enim de corpore lucem
Jactat, at objecto ſuſceptam a Sole remittit.
Præterea multæ Lunaï in corpore quid ſunt
Nigrantes maculæ? niſi magnæ corpus in ejus
Projectæ hinc illinc umbræ; nam collibus illam
Extantem multis & montibus eſſe putandum eſt:
Proinde illam adverſa Solis de parte neceſſe eſt
Projicere in valles magnis de montibus umbras.
His accedit, uti vario quoque corpore conſtet,
Scilicet & terra & lapidum gravitate vel undis;
Quæ partes vario pro textu diſſimilique
Non una ratione valent non viribus æquis
Ad nos Phœbeæ radios reflectere lucis:
Quare hi languidius contingere, fortius illi
Irruere in terram viſumque laceſſere noſtrum:
Hinc intermixtas tuimur fulgoribus umbras.
  Aſſimili ratione licet pulcherrima toto
Se cælo oſtendat Venus, & profundat amica
Lumina, non propria ſed Solis luce ſuperbit:
Quandoquidem ipſa etiam per cælum, ut Cynthia, flexis
Cornibus incedit perſæpe, & candida tantum
Illa parte nitet, Solis qua conſpicit Orbem.
Heſperus eſt, ſequitur cum Solem nocte ruente,
Vertit in occiduas & lucem fulgida metas:
Phoſphorus at contra pariter Solemque diemque
Luce ſua præcurrit, eamque obvertit Eoas,
Ex illa quia Sol parti conveſtit, ad oras.
Hac ratione etiam Mars Mercuriuſque videntur

Fulge-

Fulgere phœbeo, quod cernunt, lumine tantum.
Saturnique Jovisque globum quoque vestit eodem
Lumine, quo Lunam, radiisque micantibus ornat
Sol medium; neque enim opposita de parte coruscant.
Corpora quandoquidem, quæ circa vertier illos
Post referam, opposita Soli cum parte feruntur,
Amissa penitus conduntur luce; quod ulla
Non fieret ratione, nisi Astrum umbraret opaca
Mole sui, quare propria non luce coruscat.
  Denique consimili cur non ratione putemus,
Quandoquidem solida est radiisque impervia Tellus,
Ipsa quod & lucem revomat, semperque micantem
Clara sit ad Solem, suaque illi dona remittat?
Idque tibi ex ipsa cæli ratione valebo
Confirmare: prope est Soli cum Luna, suique
Plus quam dimidia cum cæca est parte, videbis
Illa parte quidem conspersam lumine tenui;
Quod certe a Terra super insiluisse fatendum est:
Namque ea paulatim lux deficere incipit, ut se,
Qua clara est, removet Tellus: quapropter opinor,
Desuper a Lunæ si Terram corpore spectes,
Tum fore, in Astrorum numerum referenda repente
Ut videatur, uti Lunam quoque dicimus Astrum.
  Porro scire licet, quod sidera fixa vocamus
Propterea, quia cæli hærentia semper eadem
In regione simul volvi cernuntur in orbem
Inter se nunquam variantibus intervallis.
At contra vaga sunt, cæloque errare feruntur,
Sese inter quæ nempe situm mutare videntur,
Et nunquam spatiis æque distare locisque.
Nunc ea quæ constent, & quo correpta cieri
Per cælum motu possint, age texere pergam.
Et veluti placidum cum stat mare, multaque circum
Navigia apparent, si puppi Navita ab una
Mutatis alias spatiis innare locisque
Prospiciens advertat, erit, cur hæreat anceps,
Scilicet hocne ratum motus concinnet earum,

Quas

Quas longe avectas pelago videt? an sua puppis
Illabens tacito tranquilla per æquora cursu
Efficiat, videatur ut hæc variantia longe
Inter eas, spatiis quæ fors retinentur in isdem?
Sic cum suspicimus vaga magno sidera cælo
Inter se mutare vias confusaque ferri,
Hærere ambiguo rationum pondere mentem
Est opus, hæc quonam fiat variantia motu?
  Propterea, cælo fieri qua singula constet,
Usus erat rationem aliquam reperire: neque illa
Credendum tamen est nobis quod condita rerum
Summa sit hæc: quis enim temere id non crederet audax,
Ex infinitis rationibus & mage pulchris
Et mage naturam ad rerum facientibus harum,
Quas Deus æterna conceptas Mente gerebat
Omnipotens, quod in hanc tandem concesserit unam
Præ reliquis longe melioribus & magis aptis?
Mî sat erit, quod & hac arcana resolvere possim,
Quæ supera in cælo mirantes sæpe videmus:
Illam propterea recipi evolvique necesse est,
Donec quæ melior labenti prodeat ævo.
Multa tulere anni, quæ prima ætate latebant;
Multa ferent secum venientes: nec fuit ante,
Quæ regat errantes ventosa per æquora puppes,
Ferrea Cuspis, ut est longo post tempore tandem
Inventa ingenti mortalibus emolumento.
At neque præterita neque nostra ætate repertum est,
Herculeas ultra metas sine littore magnum
Audax Oceanum qui navigat, ut queat undis
In mediis certa ratione agnoscere, quantum
Littore ab hesperio processerit, instabilisque
Qua sit parte viæ defunctus, quæque supersit.
Forsan & hæc ventura aliis mox deteget ætas.
  Quare age, & intenta jam percipe mente, quod instat.
Principio Solem propria qui luce coruscat,
Ut supera ostensum est, nostræ fac ut esse rearis
Assimilem flammæ, quæ vi motuque agitatur

Usque

Uſque adeo vehementer, ut omni fortior extet
Corpore mobiliorque; ita magna percita motus
Vi, quæcumque furens contingit, concremat atque
Diffuit, aut ſecum violento turbine raptat,
Quamvis condenſo reſtantia conciliatu.
Sic quoque Sol fluido atque agitato corpore conſtet,
Ut, quæ circumſtant ſe cumque, ardore furenti
Transferat, atque illo cæli rotet impete partes;
Sed tamen ipſe manens una in ſtatione quieſcat,
Nec loca permutet variis regionibus errans;
Signa velut cælum rutilant quæ fixa per altum.
Debet materies proporro fluvida cæli
Eſſe; etenim ſolida ſi conſtent omnia mole,
Quæ ſupera tuimur cæli in regione patere,
Qua ratione queant palantia ſidera ferri?
Num cuneis debent & acuta cuſpide præ ſe
Rumpere iter? ſemperque via luctarier arcta?
Ne tamen hanc ob rem penitus per inania ferri
Aſtra putes, liquidis permixtum aut rebus inane:
Nam, præter ſpatio quod ab omni excluſimus omnem
Naturam vacui, & pugnare oſtendimus ante,
Si ſit inane ſuper, queis poſſet viribus aſtra,
Quæ vaga ſunt, circa Solem obluctantia ferre?
Quare etiam atque etiam fluidum eſt cælum omne liquenſq;
Et penitus pleno quoque corpore conſtet, oportet;
Ut, quia commotum eſt, & Solis circuit Aſtrum,
Vi transferre ſua ſolidiſſima corpora poſſit
Secum in circuitum, raptareque turbine eodem.
Propterea Tellus (quia non eſt funibus ullis
Suſpenſa aut ſubter ſolidis innixa columnis,
Debeat ut conſtans una in ſtatione per ævum
Omne manere; ſed aurarum tenuiſſima circum
Vis omni pariter cingit de parte, ſuiſque
Perfluidum hoc cælum conjunctam amplexibus ambit)
Debet ab illius circumferri impete, & una
Immotam luſtrare moventis lampada Solis.
Non tamen hic agitare loco ſcelus eſſe rearis

Tellurem, Veſtamque ſua e ſtatione movere,
Propterea, quod in hoc quid mundo fiat eorum,
Non doceo, at fieri quid poſſit, ut omnia conſtent.
Deinde quod immotam nihilo-minus eſſe fateri
Poſſumus, immotam quam ſit fateare neceſſum
Eſſe ratem nullo religatam ad littora morſu,
Quam neque propellant venti, neque palmula ponto
Trudat in æquoreis hærentem partibus iſdem;
Unda licet tacito ſecum illam deferat æſtu.
  Aſtra quoque errando ſeſe quæ multa volutant
Per cælum varie, liquidiſſimus aëris æſtus
Vortice corripiat rapido, circumque revolvat,
Orbibus ut medium repetitis verſa coronent
Solem; qui rapide quoniam movet omnia circum,
Nonne vides opus eſſe, ut quæ pars ætheris illi
Eſt vicina magis, properantior exagitetur,
Contra tarda meet, longumque abſumat eundo
Tempus, quæ cæli pars eſt a Sole remota?
Quod genus interdum eſt in aquis deprendere; nam cum
In ſeſe contorta furentes vorticis æſtus
Flumina concinnant, ramorum pondera parva
Feſtucæ paleæque leves rapiuntur in orbem,
Quæ magis accedunt, citius, quæ vortice contra
Longius a medio diſtant, ſinuare videbis
Se magnum in gyrum, ſed longe ſegnius ibunt:
Evaneſcere enim paulatim turbinis hujus,
Et ſpatio imminui vires fateamur, oportet.
Propiereaque gravem finxere ſenilibus annis
Saturnum, quia cum Solem procul uſque remotus
Aſpiciat, magno ſeſe ſemel orbe volutat
Segniter expletis triginta ſcilicet annis:
Bis ſenas hiemes peragit ſed Juppiter uno
Circuitu, geminas citior Mars: noſtra propinquat
Terra magis, Solemque uno circumſpicit anno:
At multo propior quod ſit, quam Terra, peragrat
Menſibus octonis curſus ſed turbine multo
Flaccidiore Venus, quam quo Cyllenius errat

In gyrum; tribus hujus iter nam menſibus æques,
Omnia ab occaſu per magnos ætheris orbes,
Sed per inæquales hæc aſtra feruntur in ortum.
Præterea fit, ut hoc in magno vortice Solis
Saturni minor atque Jovis Terræque feratur
Vortex: in magno veluti nam turbine aquarum
Conſpicias ferri circum perſæpe minores;
Sic licet immoti volvatur ab impete Solis
Saturnus, tamen ille pari ratione volutat
Circa ſe quinos aſtrorum conditus orbes:
Juppiter at quatuor circumvehit, ocyus illos,
Quos ſe propter habet; tarde, qui longius abſunt.
Hæc quoque ſunt ſolida conſtantia ſidera mole;
Nec propriam jactant lucem, ſed Sole receptam.
Hanc opus eſt valde tenuem jactarier ad nos;
Nam nudis oculis illa uſurpare nequimus:
Priſca proinde Viros omnes ætate latebant:
Donec per vitreos tandem conſpecta tuborum
Anfractus: vidit primum Vir gentis Hetruſcæ:
Inclitus ille novis nova finxit nomina ſtellis.
Haud ullo tantum ſe Tuſcia tollit Alumno:
Namque hic multa bene & divinitus inveniendo
Rerum notitias prægrandibus incrementis
Auxit, quæ æternis monumentis inſita florent.
Præterea ipſius ſpeciem variare notatum eſt
Saturni; viſus modo namque rotundus, & idem
Se modo in oblongum flectebat lucidus orbem;
Nunc veluti geminis excurrens auribus ibat
Hinc anſatus & hinc: quod quare appareat, audi.
Illum ingens medium quidam circum annulus ambit
Sat latus craſſuſque parum: qua propter, ut aſtrum
Nobis ſe varia de parte obvertit, oportet
Multiplici variare ſuam ratione figuram:
Nam ſubtile latus ſi verterit annulus ad nos,
Quod noſtri nequeant oculi uſurpare, rotundum
Apparebit, ut eſt, Saturni corpus: ubi idem
Nobis poſt faciem paulatim oſtendere latam

Cœperit; auritum primo, tum deinde videri
Oblongum debebit, eo ſed latius ipſum,
Quo minus obliqua ratione tuebimur, Aſtrum.
Scilicet hic etiam levibus ſuſpenſus in auris
Annulus abripitur Saturni a vortice eodem,
Quo ferri quinos Aſtrorum diximus orbes.
Tertius eſt Terræ vortex, quo Luna ſui ſe
Circuitus per iter convertit concita Terræ
Turbine terdenis prope circum rapta diebus,
Scilicet aſſequitur queis Solem abrepta manentem.
Multaque præterea, quæ nos ignota lateſcunt,
Fors correpta ſuo circumfert vortice Tellus
Corpora: Saturnum pariter fors plura Jovemque
Circumeunt, quam quæ vix demum prodita conſtant:
Forſitan & Martem quoque Mercuriumque coronant
Et Venerem quædam, quæ nondum detegit ulla
Arte valens oculus; quoniam vel tenue reflectunt
Lumen, vel parva nequeunt pro mole videri.
Utque rapit circum medius fervore ſuo Sol
Aſtra movens, & fors notis quoque plura; quid obſtat,
Sidera quin pariter, quæ fixa vocavimus alte
(Quandoquidem propria fulgentia luce videri
Tot poſſunt Soles) aſtrorum corpore multo
Ambiri in medio licet ipſa immota putemus?
Præterea Terræ corpus, quod Luna peragrans
Semper habet medium, circa ſe turbinis hujus
Præcipitanter agit vis major, ut acta rotatu
Orbem Terra ſuum ſenis quater expleat horis.
Nonne vides, cum planitiem ſuper afferis æquam
Forte globis Socios inter colludis eburnis,
Projecti geminis ut agantur motibus illi:
Partim tramite eunt recto, partimque voluti
Se circa multos peragunt ſuper æquore gyros.
Haud aliter gemina Tellus ratione duos ſe
Volvit per motus, dum Solis circuit ignes
Alterius vi rapta, ſuoque in vorticis æſtu
Dum fertur ſeſe verſata volutaque circum.

Inde

Inde tibi, advertas paulum, constare videbis
Sic nos Annorum sic tempora posse Dierum
Metiri: fit namque Dies, dum se pila Terræ
Toto se circa molis glomeramine volvit;
Atque ita ab occasu dum se convertit ad ortum
In Solem, illius jam lumine tincta, necesse est,
Dimidia sit parte sui, pars obruta nocte
Altera, quæ radios subtracta reliquit: at Annus
Uno in circuitu fit Terræ, quo vaga Solem
Omni ex parte videt bis senis mensibus actis.
Hic age, cur Solis radiis modo plena nitere,
Nunc minui, penitus nunc lumine cassa videri
Luna queat, dicam. Fieri hæc rere omnia tantum
In speciem; quoniam cursu cum cæca silenti
Progreditur, fratrique suo conjuncta videtur,
Illam Solem inter Terramque meare necesse est
Tempore eo: minuit prorsus quapropter & aufert
Luciferam nobis partem, quæ candida Phœbum
Aspicit; ast ejus quantum decedit ab orbe,
In speciem tanto majori lumine crescit:
Namque minutatim partem, quam possumus ipsi
Aspicere, ad Solis convertit lampada, lucem
Unde haurit; donec pleno bene lumine fulsit;
Ut facit, igniferum cum Solem adversa tuetur
Exoriensque cadentem, & nocte argentea tota
Fertur agens currus lucentes æmula Solis.
Cur tamen interdum vultum improvisa micantem
Umbra tegat Lunæ, cur fontem luminis ipsum
Deficere innubi cernamus in æthere Solem,
Reddere quam possim rationem, pauca necesse est
Jam firmare prius, quæ tu prænoscere possis.
Propterea attentas aures animumque reposco.
Si Solis media situs in regione manentis
Te circum Terræ spectares corpus oberrans,
Hoc bissena viam signare per astra notares,
Ad speciem per quæ nobis Sol ire videtur.
Et, quæ sint ea Signa, canam, quæ terra peragrat.

Primus inauratis Aries se cornibus effert
Sidere conspersus multo, quo vellus & altum
Collucet caput. Hoc Athamantis Filia ponto
Non bene vecta dedit nomen, queis concidit, undis.
Fecerat ipse suo celebrem tum Colchidis oram
Vellere, quod sacris Divûm pendebat ab aris;
Ut tali excierit pretio tot robora pubis
Argoæ, quot prima per æquor vexerat Argo:
Scilicet ut veteres Grajûm cecinere Poëtæ.
Insequitur Tauri, quod dicunt nomine, Signum;
Ignes per nares & frontem & tempora fulgent.
Excipitis Taurum Ledæ pulcherrima quondam
Pignora, vexatis at nunc gratissima Nautis
Sidera, vos inter pedibus manibusque revinctis.
Post hæc Octipedis collucent brachia Cancri
In supera cæli statione. Micantia porro
Exerit ora Leo, caudamque retorquet: at illum
Virgineæ vestes & Virginis ora sequuntur
Erigones, patriam quæ cædem propter, ut ajunt,
Alte glandifera suspenderat arbore sese:
Sed pietas Divûm justum miserata dolorem
Transtulit in cælum nomenque habitumque Puellæ.
Pendula Libra subit: chelisque sequentibus ardens
Scorpius attollit caudam: tergoque refulget
Semivir Hæmonii Dux quondam fidus Achillis.
Herculis hic dum tela Senex squallentia tractat
Excidit incauto, & lævo est pede fixa sagitta.
Ingemuit Chiron; non lectæ collibus herbæ
Proficiunt; superat Lernææ virus Echidnæ;
Exanimem excepit cælum. Mox Ægocerotis
Aurea, mox geminis resplendent sidera rivis;
Deinde loci subeunt Pisces, extremaque claudunt.
Quare per cælum, qua late extenditur ingens
Signiferi via circuitus, a turbine Solis
Rapta suum sibi iter poterit fecisse videri
Terra(quia hac medio properantem e Sole videres
Perpetuo): neque enim parti declinat ab ulla;

Annua

Annua ſed cælo contundens tempora circum
Unquam Signiferi planum non deſerit orbis.
Cætera, quæ vaga ſunt, deflectunt ſidera paulum
Hinc atque hinc. Curſus ſimili ratione videmus
Lunam agere obliquos; modo ab Auſtro truditur errans
Brumales longe ad flexus, vicibuſque recurrit
Æſtiferam in partem gelidis Aquilonis ab oris.
Dum tamen interea citraque ultraque per orbem
It, redit, in geminis magnum oppoſitiſque neceſſe eſt
Luna locis Terræ ſecet orbem, quo via flectit
Signiferi ſe circum, & iter bis tranſeat illud.
Hæc loca bina vocant nodos hi, qui loca cæli
Omnia nominibus certis ſigniſque notârunt.
Hæc bene cognita ſi teneas, per te ipſe valebis
Defectus Lunæ & Solis cognoſcere cauſam.
Nam ſi tempore eo, Soli quo Luna propinquo
Juncta meat, nobiſque illam, quæ luce refulget,
Eripuit partem, vultuque averſa decoro eſt;
Si procul a nodis, inquam, illo tempore flectat
Cynthia iter, claro Terram ſecludere fratris
Lumine non poterit, nec amicam avertere lucem.
Quod ſi per nodum tum tranſeat aut prope, Solis
Occurret radiis ardentibus officietque,
Ne tranſire queant in Terram, corpore opaco.
Propterea tibi Sol dimittere languidus ignes
Parte aliqua ardoris luciſque orbiſque minutus,
Seu plane extincto mœrere videbitur orbe;
Protinus ut nigram cum multo ſidere noctem
Interdum referat; nocturnæ erumpere viſæ
Tum latebris volucres, in nidos ire diurnæ,
Vel ſubita jam perculſæ caligine noctis
Decidere in terram; Paſtores, territa turba,
Tum neque paſta domum neque pota armenta referre.
Annulus interdum lucis pro Sole videtur,
Si minimum a nobis diſtet Sol, atque ita major
Illius ſpecies ad ſenſus accidat orbis,
Cynthia ſi contra, quantum pote, dimoveatur

A Terra cælum bigis invecta per altum;
Nam nequeat totum breviori corpore Solem
Obtegere in nodis, quin circum luceat ora.
  Cum vero penitus ſe Luna a Sole removit,
Jamque parat totam nobis convertere lucem,
Longe a Signifero ſi qua de parte meatu
Declinet, nunquam radiis ſpoliata latebit.
Sed contingat eo ſi nodum tempore, eundem
Vel prope verſetur, Tellus quam projicit, umbram
Incidit in longam, quæ totam obnubit, ab una
Vel parti faciem delibat prætereuntis.
Nam tibi tum Solemque inter Lunamque, neceſſe eſt,
Terra ſit; hujus item, quia opaco corpore conſtat,
Parte ex adverſa Solis protenſa per illam
Umbra cadat cæli regionem, qua meat Orbis
Lunæ tempore eo; quare perlabitur umbras.
Et quoniam ipſa ſuo non fulgit Luna nitore,
Sed radiis Solis, quos aſpicit, interrumpi
Tunc opus eſt Solis radios lumenque profuſum;
Ora ibit mœſtis ideo ſuffuſa tenebris.
  Scilicet hinc nivei tractam Endymionis amore
(Turpe!) Deam dicunt poſt Latmia ſaxa latere:
Scilicet & phrygios Curetas ſemiviroſque
Dictæis memorant Corybantes montibus(orbem
Cum plenum inciperet ferrugine condere nigra
Deficiens) magnum miſeratos eſſe laborem:
Propter enim magici vim carminis eſſe putabant
Contectam ſubito tenebris ægreque ferentem
Deduci in terram & rhombum parere moventi.
Concava propterea certatim tympana palmis
Pulſabant omnes, atque æribus æra ciebant
Terrifico ſonitu, poſſit qui vincere cantus.
Ne moveant Lunam auditi, cæloque refigant.
Has tamen errorum nubes jam cognita rerum
Cauſa reſolvit, & ex animi ratione repellit.
Quod ſi eadem noſtra quoque nos ætate lateret,
Forſitan inſanam(quis contra ſpondeat Auctor?)

Nos quoque ſtultitiam victi ſequeremur eorum,
Illud idem, vel, quod moveat magis, eſſe putantes:
Saltem propterea trepido terrore repletis
Triſte aliquod monſtris portendi talibus omen
Confingens metus ipſe fidem ſibi conciliaret.
Cecropius morbo Siculiſque exercitus armis
Vexatus tandem hoſtili decedere terra
Per magnum Jonium collecta claſſe parabant,
Et patria mutare ſolum Pandionis urbe
Trinacrium: Nox jamque aderat, jam vellere ſigna,
Jam properare fugam; cum cælo Luna ſereno
Protinus obducta eſt tenebris, lucemque negavit.
Religionem animis nova res gelidumque timorem
Incuſſit; compreſſa fuga eſt; clademque piandam,
Iſta ſibi quam ferre Duces portenta putabant,
In Triquetra exclamant terra: ſacriſque vacarunt,
Donec poſſe datum ſeſe ſubducere cædi, &
Arma referre domum: nam demum barbarus hoſtis
Ingruit, & forti cinctos indagine vicit,
Æternumque ſolo patrio (pro! dedecus ingens
Cecropidum) cæſos ingenti clade diremit.
Uſque adeo nocuiſſe poteſt, ubi pectore fixa eſt
Ignorantia cauſarum: formidine terret,
Inſanaque animos conſcindit religione.
Inde tibi ſortes inde omina diraque menti
Auguria; & Lemures apparent Capripedeſque
Per noctem formæque Animarum luce carentum.
Quod ſupereſt, cum Sole minor ſit Terra, neceſſe eſt,
Umbram, qua lata eſt, decreſcere progrediendo
Illius; idcirco quo plus extenditur, uſque
In ſpeciem metæ tenuabitur, atque ita tandem
Deſinet in parvum quamvis longiſſima punctum.
Non potis idcirco eſt tenebras inducere Marti,
Nec, Martem ſupera quæ ſunt, fulgentibus aſtris
Saturnique Joviſque; quia huc non pervenit umbra
Terræ: quin etiam totum non mergere poſſet
Lunæ orbem, tegeretque minus caligine lata,

Si

Si non tantundem minor eſſet corpore Terræ
Luna, vel ipſa magis Terra, quam diſtat, abeſſet.
  Pæterea cum Sol objecto corpore Lunæ
Deficere apparet nobis, non omnibus una
Deficiens æque Populis videatur, oportet.
Nam cum Lunai major ſit corpore Tellus,
Major item multo pila Solis conſtet utraque,
Non poterit Solem Terræ ſubducere toti
Luna, licet multis lucem regionibus ejus
Interdum eripiat, verum non omnibus æquam.
At cum Luna ſuis condit ſe cæca latebris,
(Olli nam lucem Terræ rapit umbra) fatendum eſt
Omnibus a Populis æque debere videri
Obſcuram, nullumque illo dare tempore lumen.
  His tibi claratis, quæ reſtant percipe porro.
Et quoniam Terræ circa ſe diximus orbem
Volvi, illoque ſui noctemque diemque rotatu
Efficere, oppoſitis geminos in partibus ejus
Concipe mente polos: (loca ſic voluere vocari,
Turbine quæ in tanto poſſunt immota videri;
Circa ea quandoquidem moles evolvitur omnis)
Porro finge, ſuum veluti rota verſa per axem eſt,
Axem per mediæ corpus verſatile Terræ
A geminis tranſire polis, & concava cæli
Productum recta regione utrinque per auras
Tangere: fac pariter loca partibus eſſe rearis
In cæli oppoſitis, quæ(ut fert natura polorum)
Æquis hinc illinc ſpatiis disjuncta recedant
Orbe a ſignifero, medioque ea nectier axe,
Illum propterea magnum qui rectus ad orbem eſt.
Totius hunc axem Mundi, Terræque minorem
Finibus a geminis ad ſidera continuatum
Imparibus ſemper ſpatiis diſtare putato
Inter ſe; quoniam, Tellus quo vertitur, axis
Paulum ſignorum magnum inclinatus ad orbem eſt;
Menſuraque pari vergit, quocumque feratur
Terra loci gradiens; verum directus eodem,

Inque

Inque plagas mundi pariter conversus easdem
Omnibus usque locis constat; quapropter oberrans
Dum loca commutat Terræ pila magna, polorum
Nunc unum obvertit Soli, nunc parte viaï
Alterum in opposita, mediis media ipsa necesse est
Collustrata locis medio quoque Sole calescat.
Ut, Puer ardentem si ludens circumit ignem
Eoas vultu semper conversus in oras,
Nunc opus est dextrum caleat latus illius igne,
Opposita nunc parte loci manus altera flammæ
Sentiat ardores: ast inter utrumque locorum
Cum tergum flamma aut pectus peragrantis & ora
Collustrat, dextrumque æque lævumque necesse est
Collucere latus. Fac idem in Tellure rearis,
Tempora obit medium dum rapta per annua Solem.
Hinc tempestatum, quas uno cernimus anno
Tam varia ratione subire, ut frigida Bruma est
Post mitem Autumnum, percoctaque solibus Æstas
Veris post Zephyros, ratio tibi certa patebit.
Nam cum Sol metas per Cancri solstitiales
Visus erit ferri, tum vere concita Tellus
Per signum adversi versabitur Ægocerotis.
Et quoniam sese Mundi totius ad orbem
Inclinat paulum, quo Tellus vertitur, axis,
Est opus hunc nostrum magis illo tempore tingi
Solis luce Polum, quia ab ista parte magis se
Ad Solis radios inclinat Terra, Boreas
Obvertitque plagas: quare tum fervida nostris
Sæviet a Sole illabens regionibus æstas.
Tum nudi arentem proscindent vomere terram
Agricolæ, campisque metent frumenta perustis;
Cornigerique boves deducti vespere rivum
Ad tenuem vix fonte sitim lenire valebunt
Collectam nimiis fervoribus atque labore
Mirantes, quo tantus aquarum abscesserit humor.
Illo tempore item tardis mora longa diebus
His aderit terris, quæ quo magis ad Boreales

Acce-

Accedunt metas, ſumunt magis augmina luces.
At Polus alter erit proin nocte & frigore denſo
Obſitus, a Solis quia ſe procul igne removit.
  At porro medium cum Terra peregerit orbem,
Curvaque jam ſubter tibi brachia Canceris ibit,
Solemque adverſo Capricorni ſtare ſub aſtro
Aſpiciet (quia ſemper eaſdem dirigit axem
In Mundi partes ſibi conſtans), condat, oportet,
Tunc a Sole Polum, radiis qui exarſerat ante,
Atque alia de parte alium convertat ad ignes.
Proin tibi per noſtras late dominabitur oras
Triſtis hiems: longas ceſſare per illa videbis,
Tabeſcente die paulatim, tempora noctes.
Tum glacies conſtringet aquas, & flumina ſternet,
Caneſcent nivibus juga montium, & horrida nudas
Concutient late ventorum flamina ſilvas.
Nos exuret hiems: alia ſed parte, prope Auſtri
Extenſa eſt qua Terra polum, deſæviet æſtas
Phœbei radiis ſuperimpendentibus ignis.
  Poſtremo mediis cum magnum invecta per orbem
Fertur Terra locis Capricorni & Canceris inter
Lucida ſigna, Aries vel per ſua cornua volvit
Suſceptam, Libræ vel per momenta vagatur;
Tum mediam radiis Sol recta percutit urens,
Æquatoque Polum ſpatio colluſtrat utrumque.
Idcirco æquatæ procedunt lucibus umbræ
Omnes per Terræ regiones. Illa vocamus
Tempora Ver, cum poſt brumam venere rigentem:
At, qui ferventes æſtatis temperat ignes,
Dicimus Autumnum: non illo ditior ulla eſt
Tempeſtas: matura ſuos tunc Uva racemos
Undique vitigenos per colles multa colorat;
Pomaque curvatis ſuſpendit mitia ramis
Dædala Natura, & turgentes Palladis almæ
Fert baccas: quin & paſſim nemora avia complet
Omnigenûm ſæclis volucrum, quas poſſit ab alto
Dejicere occiſas Venantum ruſtica turba.

At

At non Vere novo pars eſt formoſior anni :
Tum florent arbuſta, nova tum fronde comantes
Luxuriant ſilvæ, creſcuntque in montibus umbræ :
Tum decor & campis redit omnis, quos viridantes
Herbarum ſoboles nova veſtit, & ubere rident
Ex utero terræ rumpentes undique flores;
Pacatumque nitet cælum, lenique ſuſurro
Aſpirant animæ Zephyrorum; per Veneris res
Quadrupedum Volucrumque genus ſua ſæcla propagant.
Tempore non alio veteres Philomela querelas
Suavius in ſolis vulgavit concita lucis,
Scilicet incuſſum eſt blando cui pectus amore :
Tempore non alio furiis majoribus acti
Cornibus incurſant Tauri, pugnaſque laceſſunt,
Paſcuaque averſantur eam vim propter amoris.
Denique Vere novus ſenium poſt triſte fit Annus.
 Nunc age, cur celeri videantur ſidera curſu
Omnia in Occaſum Cæli per templa cieri;
Cur videatur item Sol pulſa ſurgere nocte
Ex Oriente, per ætherias dein labier oras,
Mox & in occiduas defeſſus concidere undas,
Percipe : quin primo poteris cognoſcere cauſam
Tutemet intuitu, ſupera ſi dicta revolvis.
Terra etenim Solique & cælo ſtantibus aſtris
Occurrit motu, quo circumlata per orbem
Semper ab occaſu ſeſe convertit in ortum.
Idcirco, quoniam celerem non poſſumus ipſi,
Qui ſimul abripimur cum Terræ corpore magno,
Percipere ipſius motum, videatur, oportet,
Turbine præcipiti cælum in contraria volvi
Cum ſignis cum Sole ſuo : velut alta petentes
Mirantur colleſque procul monteſque citatos
Turritaſque Urbes portuſque recedere Nautæ.
 Illud neve puta temere hic me rebus in iſtis
Arripuiſſe, quod hunc Terræ non poſſe rotatum
Nos ſentire uno correptos turbine dixi :
Id fit enim, quoniam, qua circumfundimur, aura
Nobi-

Nobiſcum pariter curſu verſatur eodem:
Non ulla idcirco vis progredientibus obſtat
Aurarum nobis, quæ noſtros officiendo
Significet celeri Terræ cum turbine motus.
Præterea aſpicies (oculos cum mente ſagaces
Sæpius in purum ſi tentes tollere cælum)
Sole quod interdum Mars ſit vicinior ipſo;
Inter utrumque ſita eſt cum Tellus ſcilicet Aſtrum.
At cum Sol Terram medius Martemque fit inter,
Tum magis a Terra diſtat Mars Sole. Videtur
Ultra ſæpe Venus Solem quoque Mercuriuſque;
Nimirum ex alia cum Solis parte feruntur,
Ex alia Tellus; quapropter Sole neceſſe eſt
Tempore eo a nobis ſit utrumque remotius Aſtrum.
Aſpicies etiam, fors & miraberis, iſdem
Nunc immota locis palantia ſidera cæli
Stare, modo effuſis ferri properanter habenis
Signiferum per iter, modo contra ſigna reverti,
Confectæque remetiri retrograda partem
Sæpe viæ. Non eſt ut poſſis credere vera,
Quæ genus hoc cælo tuimur; neque Sole videres
Talia de medio, non ſic variante peragrant
Sidera quem motu conſtanti vortice rapta.
Terra tibi, quoniam transfertur Terra, neceſſe eſt
Efficiat, videantur ut hæc, quæ viſa profecto
Non fiunt; etenim, cum ſit vicinius Aſtrum
Mercurii Veneriſque, opus eſt brevioribus uſque
Solem obeat ſpatiis, atque ocyus orbe feratur,
Terraï quam corpus; item properantior ipſa eſt
Marte rubente, Jovis quoque ſidere falciferique
Saturni, quoniam plus Solis ab impete diſtant.
Quapropter fit, uti mage curſu concita Tellus
Inter Solem interque ea tranſeat ocyus Aſtra
Præteriens; pariter Solem Terramque fit inter
Mercuriuſque Venuſque citato ut uterque volatu
Tranſmeet: hanc ob rem curſus mutare videntur
Tum varia ratione ſuos ea ſidera; fitque,

Ocyus

Ocyus iſta meant quia Terra, ſegnius illa,
In ſpeciem tantum noſtri variantia viſus;
Proptereaque opus eſt, nunc in ſtatione tuamur,
Nunc celerare viam, nunc retro ſidera ferri.
  Attamen ut poſſit tibimet manifeſta patere
Horum, quæ dico, ratio, neque verſibus anceps
Hæreat in noſtris animus, potes omnia fidis
Subjicere hæc oculis in carta picta papyro,
Et ſignare vias, & circumducere curſus
Aſtrorum calamo, motus & tempore certo
Ordineque & numeris diſponere: namque videbis
Tum facili prorſus ratione, quod omnia fiant,
Quæ mihi difficile eſt ſine ſignis ante notatis
Effari, & ſolis rationem exponere verbis.
  Quod ſupereſt, quoſdam pergam diſſolvere nodos.
Terra ſuos, inquis, ſi ſe ipſa cieret in orbes,
Corpora non deorſum recta cecidiſſe valerent;
Subtraherentur enim tunc illa ruentibus, in quæ
Miſſa cadunt, Terræ loca concita: ſed neque Terræ
Pars ea ſubtrahitur, neque labi obliqua notatum eſt
Corpora, quæ ſupera cadere e regione tuemur:
Quapropter debet Tellus immota videri.
  Nonne vides contra, cum pervolat æquore puppis,
Si gravis a malo deorſum lapis excidat alto,
Subduci non proinde locum, quo concideret, ſi
Tranquillo ratis in portu religata maneret?
Proin queat ut Nautis recta cecidiſſe videri;
Et tamen obliquo cadit ille per aëra motu;
Et vere obliquum cernunt in littore ſtantes.
Sic grave pondus, ubi celſæ de vertice turris
Aſpicis in terram recta ruere, atque ferire
Subjectam vi molis humum, tu tramite rere
Decidere inflexo; quoniam cum mollibus auris
Cum Terraque ſimul curſu transfertur eodem.
Non igitur debet Tellus immota videri.
  Dicere porro avium cauſa debere videri
Immotam, quoniam nidos reperire volantes

Non poſſent; etenim, dum cælo auriſque morantur
Suſpenſæ pennis, ſeſeque per aëra librant,
Subtraheretur humus, correptaque turbine Terræ
Cum nidis nemora effugerent, præterque volarent,
Nonne hoc delirum eſt? nihil eſt tibi namque, quod obſtet
Concipere, ejuſdem vi turbinis aëra raptum,
Cumque auris volucres, nec proinde amittere nidos.
Addunt præterea, quibus hæc nova perculit aures
Res animumque, quod in Terræ ſit corpore motus,
Qua ratione queat, cum Solis obambulet ignes
Terra per ingentes ſpatiorum verſa meatus,
Non variare ſitum fixis collata videri
Sideribus? cæli ſed iiſdem denique ſemper
Reſpondere locis, ſi ſigna manentia ſpectes?
Et ratio, dicunt, reclamat vera, quod orbis
Annuus, immani ductu quem Terra peragrat,
Collatus ſpatiis, quibus Aſtra immota recedunt,
Debeat exiguo puncto par eſſe videri.
Hi tandem ut vincant, certa cognoſcere debent
Id ratione, quod objectant, verumque fateri.
Aſt id quis certa verum ratione notavit?
Contra quin cælo ſervatum eſt ſidera ferri
Non una ratione hieme atque æſtate, nec una
Veris & Autumni per tempora: namque videntur
In medio cæli ſpatio non ſemper eundem
Illa tenere locum, nec eodem tramite ferri:
Nempe ut Menſorum Cæli Terræque ſagaces
Perſpiciunt oculi; non virtus omnibus hæc eſt:
Proinde ſitum queat ut Tellus variaſſe videri.
Adde, quod interdum diviſo lumine quædam
Apparere ſolent Stellæ; velut Arjetis una
Phryxei viſa in geminos partirier ignes;
Viſa etiam alterutro quæ vertice fulgurat alta
Tyndaridum: quædam quin & rutilante Sororum
Pleiadum e numero, medioque in Orionis enſe
Quæ nitet, & triplicem quandoque emittere flammam
Conſpiciuntur, itemque quaterna effulgere luce.

Non-

Nonne hoc Terraï cum motu convenit apte?
Nam fit, uti ſtellam plures cogantur in unam,
Cum mage diſtantum vicinior obſtruit ignes;
Deinde ſitu Terræ mutato, ubi ſcilicet altis
Ignibus alterius non altera corpore poſſit
Officere objecto, compareat utraque nobis
Eſt opus, & geminæ videantur multiplicesve.
Quo minus eſt mirum, quod motus ineſſe videri
Poſſit, uti dico, tam magno in corpore Terræ.
Verum, quidquid id eſt, fieri num poſſe negabunt
Ipſi, quæ metuunt, quoniam ſunt magna, fateri?
Debent ante quidem, quæ non comprendere poſſunt,
Non facere hæc eadem quoque poſſe oſtendere Numen.
Tenuibus, o, nimium rebus longeque minutis
Aſſuetos animos! utinam, quid ſumma Poteſtas
Infinitaque ſit, mens cogitet, atque revolvat;
Unde ea mira quidem poſſit, ſed vera fateri.
Nullum erit errandi metuendum hic, crede, periclum,
Scilicet egregie de rebus magnificeque
Sentire, omnipotens quas res Natura creavit.
  Et jam quæ puro videantur ſidera cælo
Nominibus diſtincta ſuis ſpatiiſque, canamus.
Principio Boreæ qua ſe Polus extulit Axis,
Alta micat Cynoſura, ducem quam Nauta marinis
Fluctibus ante aliud ſervat ſequiturque per undas
Sidus: at huic Helice plauſtro majore propinqua eſt;
Septem præcipuis Helice nitidiſſima ſtellis
Conſpicienda micat, Septem dixere Triones.
Hujus ego ſæpe extremam de nocte ſerena
Aſpicio inſcripti per parva foramina buxi;
Unde licet tenui pendente agnoſcere filo,
Nocturni quæ ſit numeranda ea temporis hora.
Fulgidus Arcturo cunctantia plauſtra Bootes
Segniter inſequitur: quondam hic Puer Arcas, ut ajunt,
Mænaliam jaculo ſtraviſſet cominus Urſam
(Mater erat, formam Saturnia verterat; ille
De Jove nam fuerat furto conceptus); in altum

Ni pariter rapti micuiſſent ſidera cælum
Arctophylax Puer & Caliſto haud cognita Mater.
Proximus Heſperidum cuſtos fulgentia profert
Ora Draco, ſpiriſque intorquet lucida terga,
Quem ſuper incumbens vi comprimit Herculeus pes.
Hic Bereniceo videas de vertice Crinem;
Cnoſſidaque aſpicias multa jam luce Coronam
Fulgentem: radios non hinc procul Anguitenentis
Cernere erit: propter Lyra lucida Vulturis adſtat;
Quique tulit quondam Delphinus Ariona ponto.
Commendat factum memorabile priſca Vetuſtas.
Hic Populos cantu quondam capiebat & Urbes;
Cumque peragrata jam fama plenus & auro
Italia bimarem conducta puppe Corinthum
Trajiceret, Nautæ Vati nil tale putanti
Jam ſtruere inſidias, jam lethum triſte parare:
In ſcelus hoc aurum, pro! vilia pectora movit,
Quod ſecum extulerat Latiis vir Lesbius oris.
Senſit ut ille ſibi mortem impendere paratam,
Effera nec lacrymis molliri pectora poſſe,
Impetrat, extremum ut moritura carmina voce
(Dulces exequias) extremo in tempore fundat;
Jamque data cythara puppim ſuperinſilit altam,
Et canit; æquor aquis placidis ſilet omne canenti.
Nec mora, ſe placidas Vates conjecit in undas:
In mare præcipitem dorſo Delphinus amico
Excepit, ſupraque undas ad littora vexit.
Ac tum pro meritis Cælum Delphina recepit.
Hac quoque parte nitens Aquila, Antinouſque refulget:
Proximus eſt & Olor: tuque o memorande relictis
Huc tandem terris ſublatus es alite penna
Pegaſe: ſidereos tecum fert Hinnulus ignes.
Æthiopum quondam Cepheus Rex, Caſſiopeque
Uxor regnantes inter pulcherrima Nuptas
Illo ſigna micant cælo; religataque rupi
Filia ſidereis oſtendit vincula palmis
Andromeda; aſt ultor conſperſus ſidere multo,

Gor-

Gorgonei Perſeus jam profert verticis iras:
Aſtra Meduſeo præfulgent aurea vultu.
Hic Triquetrum quoque ſidus habes, tergoque ſuperbus
Fulget Erichthonius; nam tergo lucida Mater
Hædorum ternique coruſcant ignibus Hædi.
Tum duodena, tibi quæ diximus ante, per orbem
Sidera ſigniferum numerabis. Cætera ad Auſtrum
A ſcythicis flectunt Aquilonibus. Occupat amplam
Immani hic cæli regionem corpore Cete:
Inde loci Orion clypeo depugnat & enſe
Fulgidus: haud illum credunt impune coruſco
Cernere ſurgentem Nautæ ex Oriente; furentes
Namque movet nimbos, & tempeſtatibus atris
Exoriens cælum terras pontumque fatigat;
Ut memorant, quibus hæc tentata pericula ponti:
Bellatrix humero fax emicat, altera planta,
Illa rubens, hæc cæruleo contincta colore;
Balteus aurato ſtellarum promicat igne.
Eridanuſque Pater fluviorum haud deficit illa
Cæli parte fluens: Leporique propinqua minantis
A tergo Canis ira impendet; Sirius ille
Dicitur: at Procyon vicino ſidere fulget.
Continuata micant tria ſigna & Corvus & Anguis
Et medius Crater; prope Semivirum Centaurum,
Atque Lupum, atque Aram, Piſcemque, aliamque Coronam
Aſpicies. Hac eſt in cæli parte locata
Argo; per malos per vela tumentia perque
Coſtas & proræ tabulata apluſtraque fulgent
Conſperſi ſtellarum ignes, longeque coruſcant.
Adjice, quæ veteri latuere incognita ſæclo
Signa, per intactum tandem mare donec in Auſtrum
Perventum eſt: illum nam Terræ deſuper axem
Sidera colluſtrant noſtris contraria Signis.
Unicus hoc cælo Phœnix collucet, in ignem
Jamque abit, & veterem renovat per damna ſenectam.
Hunc prope Grus longo ſuccendit gutture ſtellas:
Sidereiſque micat jaculis Puer Indus & arcu:

Aſtraque fulgentem Volucris Junonia profert
Per caudam conſperſa:& proxima Pica coruſcat:
Propterque in ſpiras ſe evolvit lucifer Hydrus.
Quodque vocant parvi de nomine Chamaleontis
Sidus, & auſtrali Triquetrum quoque fulgere cælo
Subjectæ aſpiciunt Gentes; Apis indica tandem
Haud ſimilis noſtræ ſtellarum fulgurat igne.
Hæc tibi nomina ſunt, queis cæli ſidera dicunt,
Non quia conſimili natura conſimilique
Cum rebus ſpecie conſtent, ea nomina quarum
Sunt ſortita: etenim quod nos Cratera vocamus
Centaurumque Lupumque, pari ratione queamus
Dicere Ovem Cervum ſeu Tigrim ſive Elephantem
Sive alia, inciderint quæcumque ea denique menti;
Sed quia collibitum eſt, ita cæli ſigna vocârunt.
Scilicet hæc artem ratio labefactat eorum,
Qui varia cæli regione micantibus aſtris
Fortunam referunt temere & diſcrimina morum;
Editus ut ſi quis Libræ ſub ſidere in auras
Prodeat, aut urens naſcentem ſtella Leonis
Aſpiciat; numeris tibi protinus ars ea miris
Proferet, hunc iracundum fore more Leonum,
Aſt illum Libræ ſub amico ſidere juſtum.
Hinc vitam nobis prædicunt divitiaſque
Fortunæque vices ſtolidi in ludibria vulgi,
Quod capiunt eventa eventis accumulando:
Cum, quod ſeu temere hi ſive aſtu conjicientes
Eveniſſe ferunt, milleſima non ſit eorum
Pars, quæ mentito referebant ore futura.
Cæſaris hi Genero quondam & cum Cæſare Craſſo,
Scilicet ut fama eſt, morituros denique longum
Poſt ſenium feſſos fama partiſque triumphis
Urbis in amplexu ſpondebant; nec minus omnes
Fortuna a magna magnam fecere ruinam.
Adde, quod exitio Marathon quibus Emathiique
Una proſtratis in cæde fuere Philippi,
Sunt eadem quoniam ſortiti fata, videri

Debe-

Deberent pariter ſub eodem ſidere nati.
Fratres præterea gemini, quos edidit uno
Partu enixa Parens ſub eodem ſidere (ſi qua eſt
Aſtrorum tandem in terras homineſque poteſtas)
Omnibus unanimes in rebus conſimileſque
Moribus atque habitu fortuna & viribus eſſe
Debent, atque iſdem ſtudiiſque lociſque teneri,
Ægroti pariter fieri pariterque valentes,
Et pariter debent eadem ire in funera tandem.
Cum perſæpe quidem contra contingere noſmet
Intueamur, ut, ætatis qui tempore Fratres
Non diſtant, vitæ ratione ferantur in omni
Diverſum, ſemperque animis diſcordibus obſtent
Impare fortuna & cultu fatiſque ſupremis.
Illis quapropter latitandi copia nulla eſt,
Quos doctrina tenet Babylonica, quin fateantur
Inventam temere in ſtolidi ludibria vulgi.
Quod ſupereſt, præter, ſupera quæ diximus, aſtra
Sunt alia innumero numero diſperſa per ingens
Ætherium ſpatium, quæ tantum nocte ſerena
Aſpicere eſt oculis; penituſque abducta recedunt
Quædam, ut, ni tenues per vitrea ſepta tuborum
Immittant radios, nulla ratione videri
Poſſint, prorſus uti veteres latuere per annos.
Hæc igitur, cum ſe contingere plurima, & uno
Eſſe in concilio veluti congreſſa videntur,
Quandoquidem ſpeciem nebularum immittere ſenſus
Deſuper ad noſtros pergunt, Nebuloſa vocantur.
Lactea de genere hoc Via cælo extenditur, illac
Ire ad concilium Divos cecinere Tonantis,
Queis etiam Superûm de Gente & ſedibus horum
Falſa fuit veri in ſpeciem ceciniſſe voluptas.
Eſſe hunc candorem nil conſtitit, innumerarum
Ni congeſta ſimul ſtellarum lumina perquam
Tenuia, quæ faciunt oculis albeſcere cælum.
Idque tibi manifeſta palam res indicat, ex quo
Per vitreos cælum omne tubos luſtrare repertum eſt.

Cum tamen hac in re, quæ nunc ita conſtat aperta,
Ante Viri incertis varie rationibus omnes
Erraſſent: ni Democriti ſententia ſolers
Eſſe, quod eſt, dubia tantum conjecerit in re.
  Impare præterea fulgentia mole videntur
Sidera; quandoquidem non æquis omnia diſtant
A nobis ſpatiis; cum fors æqualia conſtent
Mole pari inter ſe & magni cum lampade Solis.
Et totidem prope ſunt numero, quæ Maxima dicunt,
Tangere Phœbei quot circum vorticis æſtum
Poſſunt; & nobis ideo propiora coruſcant.
Altera, quæ moli referuntur deinde ſecundæ,
Quandoquidem ſpatiis ultra majoribus hærent
Per cælum, ſunt plura quidem ſed mole minori.
Tertia ſic porro, quæque his ſuper edita conſtant,
Perpetuoque alia atque alia ordine lucis ut ipſo
Decreſcunt auctu, numero ſic creſcere debent,
Ut prope jam poſſint eſſe infinita videri.
  Hic me forte velis ſuperis deſcendere ab aſtris,
Atque peragrato Tellurem inviſere Cælo,
Quam colimus, quæ digna magis, quam ſidera quævis,
Eſſe videtur, ut in noſtro ſit carmine princeps;
Quandoquidem merito maternum nomen adepta eſt;
Suſtinet ut quæ nos, & opimo munere nutrit.
Dicendum eſt igitur qua ſit conflata figura,
Quique habitent circum, numeret quot denique partes.
  Principio in ſpeciem glomeraminis eſſe rotundam
Eſt opus; haud ſimplex ratio quod monſtrat apertum.
Atque mihi vel cum primis illa eſſe videtur,
Deficiente quod in Luna compareat Orbis
Cæcus propter eam, quam Tellus projicit, umbram.
Quod ſi Terra foret triquetra aut quadrata, videri
Deberet pariter Lunaï in corpore cæco,
Ut primum inciperet jam deficere, angulus umbræ:
Scilicet haud foret in conum porrecta per auras,
Pyramidi ſed par in Lunam excurreret illa;
Rectum proinde latus ſimul aſpiceretur & umbræ
Angu-

Angulus in Lunæ facie, cum deficit, atra.
Quod quoniam non fit, Terram par dicere non eſt
Quadratam aut triquetram aut cujuſvis eſſe figuræ,
Hoc genus, alterius, tantum ſed proinde globoſam
Conſimilemque pilæ magnæ fateare, neceſſe eſt.
Præterea Tellus ſi plana pateret ab ortu
Littus ad occiduum, Sol omnibus exoriretur
Tempore eodem oris, occumberet omnibus una.
Contra ſed fieri tuimur; namque ante propinquas
Colluſtrat radiis Gentes Sol, deinde remotas,
Poſt alias, quarum regio mage diſtat ab ortu;
Quoque aliis lucem profert, in nocte relinquit
Tempore eodem alios: quare non plana videri
Debet in Occaſum Nabathæo a littore Tellus.
Conſimili ratione nequit tibi plana videri,
Qua ſeſe in Boreæ regionem extendit ab Auſtro:
Namque ſub Arctoo poſitas qui ſidere terras
Claſſe petit, tolli videt Urſæ ſigna minoris
Paulatim in cælum, contraque oppôſta tuetur
Sidera, dum mutat regiones progrediendo,
In pelagus ſenſim ruere, & depreſſa videntis
Effugere ex oculis tandem, pontumque ſubire.
Quæ fieri non poſſe putem, ſi plana ſit illa
Tellus parte tibi; quare omni a parte rotunda eſt.
Huc accedit, uti, qui terras puppe relinquunt
In mare progreſſi, primo navalia portus
Littoraque auferri cernentibus experiantur;
Cum tamen & turres poſſint monteſque videri;
Donec ſumma etiam vaneſcant culmina demum.
Contra, ubi jam terris accedunt, vertice primos
Aſpiciunt montes, eductaque culmina raræ
Turris; dehinc multum progreſſis ima videri
Incipiunt, humileſque apparent denique portus.
Denique ab Occaſu qui progrediuntur in Ortum,
Ocyus aſpiciunt Solemque & ſidera oriri,
Ocyus occidere, atque magis nocteſque dieſque
Idcirco conſtare breves; mora longior horum

Contra est, occasum properant qui invisere ab ortu;
Sidera quandoquidem his oriuntur serius, atque
Serius occumbunt: tum demum, ubi utrique reversi
Hac ratione viæ Tellurem denique, quantum est
Longa, peragrarint, illos vidisse dierum
Plus unam, pariterque hos una luce minores
Esse fatereris: fieri quod posse negares,
Hæc si plana foret Tellus, fierique necesse est
Si convexa sit, & circumflectatur in orbem.
Nec mihi inæquales per terras objice montes;
Quandoquidem & montes & montibus addita summis
Oppida, quæ apparent sese inter condere nubes,
Collata ingenti cum Terræ totius auctu,
Exiguus pulvis convexa per æra rotarum
Esse videbuntur, vel si quid tenuius extat.
Ne tamen idcirco Terram æque a parte rotundam
Esse putes omni; media nam forsitan illa
Excrevit paulo convexior in regione,
A geminis compressa polis; fors planior illic
Est, & longa polo contra procurrit utroque.
Multis quod multi suadent rationibus: ipsi
Partem, dum ambiguo certatur marte, feramur
In neutram, donec ventura id detegat ætas.
Nec fore jam longum speramus, denique nobis
Ut quamvis magno hæc prolata labore patescant.
Imperio Regis, quo sese Gallia tollit,
Vel fuerit priscis dominata Heroibus, ut Dîs,
Exciti petiere Viri, pars frigora terræ
Arctoæ, nimio pars oras sole calentes;
Ut spatiis ita distantes ingentibus inter
Se conferre queant Terræ loca mensa, suisque
Evincant certis demum rationibus, illa
Num qua parte sui protuberet, excurratque.
Quondam erat in votis, Sapiens regnaret ut ipse,
Vel saperent Reges; tali fore namque beatos
Imperio Populos atque aurea sæcla putabant.
Ante quod optatum est, hoc nostro cernimus ævo.

Nem-

Nempe hic munifico Doctrinam amplexus amore
Dat fluere uſque ſuis felicia tempora regnis.
Jamque ſub hoc doctæ quo Principe progredientur
Artes? nunc quis honos, quæ nunc data præmia Muſis?
Plus hoc Regis opus, quam claſſibus æquora magnis
Sternere, quam validas Urbes & Regna potenti
Hoſtibus evictis quatere atque evertere Marte.
Quanquam ille & ſumtis cui non metundus in armis
Bellipotens? vult pace tamen ſibi quærere laudem,
Illa concuſſas medius componere Gentes
Gaudet; & arte ſua pacatum cernere Mundum.
Quod ſupereſt, Zonis præcinctam quinque rearis
Tellurem. Prior eſt, quam dicunt Torridam ab igne;
Solis enim reliquis multo magis igne caleſcit.
Hæc paribus diſtat ſpatiis ab utroque Polorum.
Quæque habitant intra Gentes, utrinque per annum
Projiciunt umbras: nam cum Sol flexit ad Auſtrum,
In Boream umbra cadit;cum contra Aquilonia Regna
Illuſtrat, cadit umbra eadem contraria in Auſtrum.
Biſque illa certum eſt terræ regione quotannis
Nullam e corporibus cadere ullis partibus umbram:
Deſuper excurrens nam Sol bis lumine recto
Impendet, ſupraque caput bis præterit urens;
Corpora propterea parti colluſtrat ab omni.
Hanc mediam excipiunt ardenti a Sole peruſtam
Zonarum geminæ, quæ Divûm munere nobis
Conceſſæ nimio non exuruntur ab æſtu,
Frigore nec nimio; tantum his regionibus una
Corpora projiciunt umbras de parte; propinquum
Harum quæ ad Boream eſt, jacit illas ſub gelidam Arcton;
Quæque Auſtro accedit regio, projectat in Auſtrum.
Poſtremo extremis hinc illinc partibus extant
In geminos extenſa polos ſpatia ultima terræ
Frigore perpetuo ventiſque nivalibus uſta.
Hanc ubi Sol terræ regionem lumine luſtrat
Obliquo ſurgens, quoniam ſex menſibus illam
Circumiens ambit radiis, convertitur umbra

Circum

Circum corpora perpetuo; circumque vocamus
Umbroſos, habitant hujus qui frigora terræ.
Percipe præterea, terraï quæ loca diſtant
Cardine ab alterutro geminorum utrinque polorum
Æqua menſuræ pariter ratione, neceſſe eſt
Illa loca æſtatemque ſimul brumamque rigentem
Perferre, & pariles noctes agitare dieſque.
Non ſimul at poſſunt ortumque obitumque videre
Solis: & oppoſitis qui diſtant partibus, uno
Hi mediam lucem, noctem illi tempore ſemper
Aſpicient: gelidæ tantum ſpatia ultima Zonæ
Excipe, quæ noctem pariter lucemque tuentur.
At quibus eſt mediam ſemper noctemque diemque
Tempore eodem agere in diverſis partibus illic
Auſtri, aſt hic Boreæ, Antœcos vocitamus: eorum
Noxque dieſque quidem menſura deficit æqua;
Nam, dum aliis brevis eſt, aliis longiſſima conſtat
Alterutra; æſtates alterno tempore ducunt
Atque hiemes. Tandem loca qui contraria Terræ
Incoluere vocati idcirco nomine Grajo
Antipodes, prorſus non ulla his convenit in re;
Non ſimul augeri ſimul & tabeſcere noctes,
Creſcere non luces ſimul imminuique tuentur,
Non Solem ſimul aſpiciunt nec ſidera noctis;
Alterniſque ferunt æſtatem ac tempora brumæ.
Quæ quoniam docui, quod reſtat percipe porro.
Principio globus hic, Tellurem quem vocitamus,
Et Maria & Terras ingenti amplectitur orbe.
Qua tamen in Terras ſpatiis extenditur amplis,
In partes multi ſciſſum voluere quaternas;
Nos unam incolimus, quæ nunc vetus Orbis habetur;
Quandoquidem priſcis fuit haud incognita ſæclis.
Altera Terraï pars eſt America, ſuumque
Nomen ab Etruſco retulit modo cognita Tiphy.
Laudamus veterem Grajo ſub Iaſone Pubem,
Quam freta tentantem prius uſque impervia puppis
Tranſtulit Argolica de terra ad Colchidos oras,
Deinde

Deinde viæ pretium referentem velleris aurum:
Majus opus nuper tentatum audivimus ipsi,
Tanto majus opus, quantum nostra æquora vincit
Oceani pelagus, tanto præclarius, ingens
Quantum America suis cum regnis omnibus atque
Omni auro pretium hoc excedit velleris aureum.
Tertia pergelidæ pars Terræ subjacet Ursæ:
Ultimaque Arctoæ contraria nomen ab Austro
Sortita est: nobis sed vix nota utraque propter
Æternas hiemes ventorumque invia regna,
Qua late excurrit gelidas America sub Ursas,
Apparet Canadum tellus, & Virginiaï,
Florida, Mexicaque ora, novumque Hispania nomen,
Atque aliæ atque aliæ sic cultu ut nomine Gentes
Regna tenent: dives stat Caliphornia ponto
Insula: non est & reliquas ut dicere post hanc
Jam morer; illa tibi par regnis grandibus extat.
Parte alia oppositum Boreæ qua vergit in Austrum,
Aurea Castellæ regio est, Guianaque late
Porrigitur; non ulla ferax magis altera Tellus
Auro atque argento; fert omnigenos animantes;
Oppida habet, magnisque extructas molibus urbes.
Adde his Brasiliam, Chilos quoque, Peruviumque.
Ingentes multique lacus, & ditibus undis
Flumina opima rigant horum spatia ampla locorum.
Dehinc oculos & ad hanc nostræ, quæ dicitur Orbis
Esse vetus, Terræ partem circumfer, & Afros
Europæque Asiæque immania regna recense.
Prima Hominum sedes atque altrix prima fuisse
Fertur Terra ferax Asiæ: his prægrandibus oris
His Populis Reges magni rerumque Potentes
Imperitant. Vastis regionibus Othmanidarum
Imperium angusto spatiatur ab Hellesponto.
Quot Gentes quot Regna tenet! tum Persidis ingens
Excipit hoc ditio: hinc Indi, Seresque, Scythæque,
Extremique Asiæ Sinæ Gens invia montes
Propter inaccessos murique crepidine junctos.

Africa deinde subit nigro contincta colore,
Vasta quidem Tellus, sed non ita culta, videtur
Quæ regione sui media deserta prope esse.
Namque ibi arenosi montes campique feruntur
Instabiles, & sæcla tenent invisa ferarum.
Nilus eam pluvia & cælesti humore carentem
Abluit exundans, & largo flumine ditat.
Hic est fertilis Ægyptus, Nomadesque vagantes,
Et Mauri, & Numidæ, sunt hic Garamantes, & ora
Exusti Æthiopes, Nubiæque calentia regna:
Multaque præterea Populorum nomina, multæ
Regnantum late ditiones. Ultima restat
Europa, a Tyria tenuit quæ Virgine nomen.
Hanc Jove cornigero, dum littore luderet inter
Æquales ætate simul florente Puellas,
Deceptam memorant Vates vectamque per æquor
In Cretam: trepidans ex æquore respiciebat,
Æquore dum Tauri tergo veheretur amantis,
Littus respiciebat, eoque in littore Pubem
Tendentemque manus iterumque iterumque vocantem;
Pulchraque plus lacrymis quam fluctibus ora rigabat
A magno nuptam se ferri ignara Tonante.
Virginis hujus habet nomen, quæ dicitur Orbis
Tertia pars veteris, longe minima inter utramque
Et Libyæ atque Asiæ partem, sed enim magis illis
Nobilitata, superque alias florentior omnes.
Atque ea Parrhasiæ qua late subjacet Ursæ,
Moschorum Imperium complectitur, hisque propinquos
Suecosque, Danosque, & quorum nomina versu
Claudere Musa vetat, Boreæque & frigoris ejus
Indigenas; nec non illa tellure Britannos
Avulsos paulum & munitos æquore circum.
Pars alia Europæ, qua se convertit ad Austrum,
Cum Regnis te vasta tuis Hispania pulchramque
Italiæ pariter Tellurem, Pannoniamque,
Et Misum, & Thracum, & Grajorum continet arva.
At medium tenuere locum Germania Lechi

Cum

Cum Regnis late campestribus, & ditiones
Gallorum, quos a Pyrenes montibus illinc,
Alpibus hinc clausos Tellus alit alma feraxque.
Demum quod superest, magnum Mare, circuit omnem
Quod Terram, Oceani vocitamus nomine; at illud
Pro regione loci varia, quem perluit undis,
Nomina sortitum est pariter variantia; quippe
Æquor Atlanteum tibi Mauri a vertice montis
Nomen habet, quoniam radices montis ad ejus
Franguntur fluctus: Americæ ad littora Iberis
Longe a littoribus pelagi hic extenditur æstus.
Æquor Hyperboreum contraque Australe vocamus,
Terrarum quod eas perfundit fluctibus oras.
At mare Pacificum jacet inter littus Eoum,
Occiduasque plagas Americæ: æstumque vocamus
Præterea Medium, Libycas qui volvit arenas,
Europæque Asiæque allabens exedit oras.
Deinde quid Hyrcani, Rubrique tibi æquora ponti,
Euxinum, Adriacumque, minoraque nomina dicam?
Quid freta Bosphorias fauces syrtesque sinusque
Commemorem? doctis hæc tutemet omnia quibis
Discere de Tabulis. Sine me nunc otia fessum
Captare, atque istas paulum dimittere Musas,
Mox iterum ad Causas rediturum & munera cœpta.



LIBER

LIBER TERTIUS.


Allia, quæ Medii glaucis hinc æquoris undis
Illinc Oceani rauco perfunditur æſtu,
Ultro cui fines poſuit Natura tumentem
Rhenum & nubiferam Pyrenem Alpinaque clauſtra,
Propter multa quidem multis regionibus una eſt
Anteferenda, quia & mitis lætiſſima cæli
Gaudet temperie, telluris & ubere glebæ,
Feliceſque hortos habet & pulcherrima Tempe;
Ut neque propterea priſcis Phæacibus arva,
Nec nemora Heſperidum invideat licet aurea quondam,
Nec ripas Penee tuas; proin mira videri
Gentibus ut poſſit Regio, viſendaque ferri.
Oppida quis Populis munita opibuſque, quis Urbes
Enumeret magnas? num terra Urbs viſitur omni
Æmula Lutetiæ? quæ tantum rebus opima
Rebus opima bonis? Viden & quos Gallica profert
Terra Viros? ſeu bella movent, quæ doctior armis
Gens erit? Amplexu placidæ ſeu civica pacis
Jura arteſque colunt, tantum felicibus auſis
Progrediuntur, uti prorſus miranda reperta
Gentibus humanis in publica commoda vitæ
Ediderint. Verum miranda hæc omnia quid ſunt
Denique præ rerum majeſtate atque repertis
Ejus, qui nobis rationem invenit eam, qua,
In cælo quidquid peragi terraque videtur,
Verius ex adyto divini pectoris edit,
Sacri quam Tripodes Laurus Cortinaque Phœbi?
Gallus & hic; magno ſe Gallia tollit Alumno.
Felix, qui clarum potuiſti extollere primus
Lumen, & immenſum te late ferre per Orbem,
Et nubes atque Aſtra tuæ ſupponere menti.

Te

Te ſequor, o Gallæ Gentis decus, atque tuorum
Docta pedum relego preſſis veſtigia ſignis;
Non quia te ſperem properantem æquare ſequendo,
Veri propter eum ſed, quo mens ardet, amorem:
Namque facem Veri præfers, lucemque miniſtras.
Tu ſapiens rerum Inventor, tu munera nobis
Inclita ſuppeditas & vita digna perenni.
Nam ſimul atque tuis evolvimus aurea chartis
Aurea dicta, quibus penitus Natura retecta eſt
Omni ex parte patens, occultaque prodita vis eſt
Cauſarum, & ratio ſimul ac tua vociferari
Incipit, hanc omnem ſuprema a Mente coortam
Naturam rerum & ſuprema a Mente geri res;
His animum rebus quædam divina voluptas
Afficit, atque extra mihi me rapit, ut videar jam
Non humilis Terræ ſed totius incola Mundi,
Et per te propius Naturam agnoſcere ſummam.
Non ita vis mentem tangit mihi ſuavior ulla,
Magnifica ante oculos vel cum ſe nocte Theatra
Auro & picturis & lumine fulgida multo
Objiciunt, reſonatve modis vocalibus aër.
  Dum tamen interea te ad cælum Gloria tollit,
Ipſe ego Muſæo pergam tua dicta lepore,
Namque aliquis lepor eſt Muſis, contingere, & illum
Doctrinæ fontem ſuavi conſpergere cantu.
Forſan ad hæc Homines turmatim carminis ergo
Accurrent; rapimur quoniam mage ſuavibus omnes,
Et properamus eo, quo res dulcedine grata
Invitant: veluti Pueri, qui ſæpe recuſant
Pharmaca, ſi mellis non ſunt contincta liquore.
Quapropter pergam incœptum pertexere verſu.
  Et quoniam docui, quæ partes Totius extent,
Et qua ſint inter ſeſe ratione locatæ;
Semina nunc, quæ ſint rerum & Primordia Mundi,
Dicendum, & ſeſe quo motu corpora quales
Compoſuere recens in formas, quaque coacta
Vi facere id, demum unde omnis Natura coorta.

Prin-

Principio ante alias te res, quas deinde docebo,
Scire velim, nullum, cum primo eſt conditus Orbis,
Præceſſiſſe Chaos confuſaque materiaï
Semina, quæ longo fuerint mox tempore motu
Digeſta in varias paulatim diſpoſituras:
Talem ſed primo (ſimul eſſe incœpit) ab ortu
Crede fuiſſe Orbem, qualis nunc ſæcula conſtat
Poſt elapſa, ſtatim rationis & ordinis hujus.
Nimirum Tellus & Sol & Sidera primo
Extabant ortu rerum tempuſque coortum,
Motu quæque ſuo ſubito diſtincta locisque,
Primi quin Hominum non ſunt rationis egentes,
Ut Pueri, exiguo pariter neque corpore creti,
Sed plena jam ætate & mole & viribus aucti.
 Et quo pervideas magis hæc, reminiſcere Summi,
Exorta unde omnis res conſtitit, infinitam
Eſſe Poteſtatem: ratio proin vera repoſcit,
Perfectum parti ſubito quod prodiit omni,
Quidquid ab illius conſtat virtute profectum:
Longe aliter quam qui Divûm ſimulacra perenni
Aut veterum Heroum vultus in marmore fingit:
Principio lapidis rude pondus & horrida moles
Multiplices ferri quavis de parte per ictus
Excutitur; donec referat molemque modumque
Corporis humani; ſignantur brachia porro
Et caput atque humeri pectuſque & crura pedeſque;
Porro oculis vitam dabit Ars, ſpirantia finget
Ora, & cæſariem venaſque & tenuia quæque
Ducet: at interea eſt mora temporis illius ingens,
Singula quo tenui ſtudet ipſa effingere cælo.
Sed mage docta manus cui ſit, tibi tempore ſignum
Efficiet breviore: potes deducere porro,
Artifici ſi ſumma ſit Ars & ſumma Poteſtas,
Quo primum inciperet, jam illo confecta videres,
(Prorſus ut interſit mora nulla) in tempore ſigna.
Hac ratione vides, primo jam tempore Mundi,
Omnis quod rerum quoque tum Natura repente

Conſti-

Conſtiterit, qualis poſt longos conſtitit annos
Parti perfecta ex omni, quia Mente creata eſt
Illa, cui ſumma eſt ſimul Ars & ſumma Poteſtas.
Id tamen haud noſtris quidquam rationibus obſtat;
Scilicet, ut ſi, Hominum quæ ſit natura, requiram,
Et quibus a cauſis habeant exordia prima;
Eſſet opus potius, quo ſemine qua ratione
Se fœtæ evolvant gremio, perquirere, Matris;
Quam quales jam tum cunctarum in origine rerum
Cum Terra ſimul extiterint Cæloque creati.
Sic etiam quid erit, vera ratione quod obſtet,
Quaſdam ſcrutari naturas Principiorum,
Unde velut certo de ſemine Sidera Cælum
Undarumque ſales liquidi Tellusque videri
Poſſit, & unde omnis demum Natura coorta,
Quamvis non ita res exortas eſſe reamur?
Proinde magis, quæ ſit rerum Natura, patebit,
Quam cum conſtat, uti fuerit res quæque creata.
Porro cum ſumma potuiſſent Numinis arte
Hæc infinitis rationibus eſſe coorta;
Eligere e numero tanto quamcumque relictum
Quis neget arbitrio nobis, veramque fateri?
Dum tamen omne, quod ex illa deducere pergo,
Rebus, quas cælo fieri terraque tuemur,
Conveniat, neque ſecum in re quoque diſcrepet ulla.
Quare age jam, Mundi quæ ſint Primordia, dicam.
Totius hanc, conſtant unde omnia, materiaï
Summam, ubi de nihilo jam extabat condita, rere
Protinus in partes diviſam eſſe innumerales;
Rere & eas partes in motum protinus iſſe,
Qui modo menſura in rebus ſervatur eadem;
Nam neque adaugeſcit quidquam, neque deperit inde:
Scilicet & partem circa ſe quamlibet actam;
Quoddam & præterea medium commune obeuntem;
Ire viæ recta quoniam regione nequibat;
Obſtabant aliæ atque aliæ cui ſemper eunti:
Idcirco ut varios ſe flexerit omnis in orbes,

Uſus erat, ſubito multis cum partibus una:
Atque ita Vorticibus totidem ſe verterit omnis
Materies, totum quot conſtant Aſtra per orbem.
  Illas præterea cujuſvis pone fuiſſe
Particulas, cum ſumma fuit diviſa, figuræ;
Non opus idcirco minus eſt fateare, quod omnis
Pars ea debuerit proſtantes e latere omni
Excutere angululos(parti pars officiebat
Quandoquidem motu), fieri tum proinde rotunda,
Ut pila, quam Pueri volvunt per ſtrata viarum.
Quod ſic exciderat de partibus, eſſe neceſſe eſt
Id minimum & quaſcumque potens variare figuras;
Ut tali ratione queat replere, pilarum
Inter particulas quod poſſit inane videri.
  Jam duplex genus eſt inventum Principiorum;
Scilicet offenſu decuſſæ particularum
Diſperſæque ſcobes, quas Prima Elementa vocamus;
Altera volventum dicunt Elementa pilarum.
At quæ Tertia ſunt, tibi poſt manifeſta patebit
Eſſe ea, quæ propter molem craſſamque figuram
Non poſſunt properanter agi, motuque cieri
Perfacili, duo quo jam percipis altera ferri.
His Tribus omne, quod eſt, rerum conſtare neceſſe eſt:
Efficiunt Solem, & quæ fixa vocavimus, Aſtra
Prima, Scobes, Elementa; at fluvida deinde Pilarum
Particulis conſtat cæli natura rotundis;
Denique Tellurem Lunam Stellaſque vagantes
Tertia conſtituunt Elementa. His plura negamus
Eſſe opus ad rerum Naturam: namque tuamur
Conveſtire ſua cum Solem & Sidera luce
Omnia, luminibus cælum præbere meatum,
Rejicere at lumen Terram Stellaſque vagantes;
Nonne tibi totidem naturas Principiorum,
Unde tria hæc conſtent, reperire opus eſſe videtur?
  Præterea, fractis quod motu particularum
Decidit angululis, Elementum, ubi copia multis
Ejus adaugeſcit diſſecta eraſaque plagis,

Plus

Plus quam opus, ut partes inter repleatur inane;
Omne, quod hac ratione tibi superefluet extra,
Atque redundabit, cogetur Vorticis axem
In medium: nec sponte sua subigente putanda est
Id sine vi facere, atque illuc non pulsa coire
Materies: Scobs namque Pilis cum tenuior extet,
Vi multo majore recedere longius illæ
Nituntur medio de Vortice; propereaque
Intro ea contrudunt Elementi pondera primi
Parte repulsa omni, medioque in Turbine stipant:
Nonne vides, cum pertuso versatur in orbes
Triticeum cribro frumentum, immixta coire
Quælibet in medio, tenui quæ pondere constant;
Ut paleæ & culmi fragiles siccataque sole
Herbarum folia & ramorum fragmina parva?
Namque, prius quoniam Naturæ diximus esse
Legem, ut, circuitu quæ corpora cumque moventur,
A circumductæ media regione viaï
Nitantur fugere, & recto se avertere cursu;
Ut lapis, in fundæ qui circumductus habena
Funem tendit eo, quo vult erumpere nisu;
Sic, quia particulas, Elementa secunda, rotundas
Jam doceo celeri versari turbine circum,
Debent propterea nisu contendere magno
Vorticis e medio disjunctæ longius ire,
Nequidquam; quoniam conantibus exteriores
Mole sua obsistunt semper, vi vimque refrænant
Funda velut lapidem. Vis hæc & nisus eundi
Longius a medio Lucis natura profusæ est
Undique per magni regiones Vorticis omnes.
Turbinis in motu porro cujusque, Polorum
Rere loca extremis hinc illinc partibus esse;
Circa ea materies etenim convertitur omnis:
Ut sic deinde queas cognoscere, qualis inesse
Vorticibus rapidis tactus per mutua possit.
Namque polo alterius si fors tangatur uterque,
Circum & uterque viæ de parte feratur eadem;

Unum opus eſt gemino fieri de Turbinis æſtu:
Quod ſi correpti ſeſe in contraria volvant,
Officiente inter ſe curſu præpedientur
Mutua; & hac magni fient ratione tumultus
Materiæ tanta in turba celerique rotatu.
Quare, quod ſupereſt, ita debent eſſe locati
Inter ſe, ut gemina medius tibi parte polorum
Contingat Vortex alios regionibus illis,
Quas geminis utrinque polis diſtare videmus.

Præterea, quoniam vi turbinis exagitatur
Primi materies Elementi, extraque furentis
Impete circuitus propellitur; omnis in axem
Non medium cogetur, & inter ſepta Pilarum
Hærebit ſemper: verum quia corpore conſtat
Subtili atque auctu tenui nimis, effugiumque
Proinde poteſt reperire per intervalla Pilarnm;
Idcirco rapidi vi turbinis egredietur
Per partes elapſa, polis quæ longius abſunt.
Vix elapſa tamen curſu ſe proferet extra;
Ecce recepta polo vicini Vorticis intro
Illabetur eo, quo fugerat, impete curſus.
Hac nunquam ratione poteſt ceſſare meare
Inter contiguos rapidæ vertiginis æſtus,
Illa lege tamen, tantum per aperta polorum
Ut queat endogredi tenuis natura Elementi;
Undique at extremis laterum de partibus exit.

Atque ubi materies ea Vorticis unius æſtus
Ingreſſa eſt per utrumque polum, ſe concita recto
Intro aget incurſu; donec de partibus æque
Oppoſitis veniens hinc illinc tramite motus
Occurret medio, offenſuque rotabitur acri.
Eſt, genus hoc, falſo quoque cernere in æquore motum:
Namque, fretum anguſtum rapidis qua dividit undis
Trinacriæ terraï Italis a finibus oras,
Vaſta Charybdis ubi eſt, & vis Scyllæa minatur,
Hinc mare Tyrrhenum magno ſe gurgitis infert
Procurſu, Æolio qua ſpargitur inſula ponto

Plurima Vulcani fumantibus usta favillis;
At contra Ionium rapidis devolvitur undis:
Quorum ubi in angusto vis obvia colluctatur,
Commiscetque undas; rapidum se volvit in orbem
Pontus, & ingenti sinuatus turbine sævit.
Non illac impune rates transire; marique
Ante procelloso potiusque furentibus Austris
Jactari cæcam per noctem hiememque malignam
Nauta velit, quam vel cælo ventisque serenis
Deprendi Siculi diros prope gurgitis æstus:
Namque ratem misere illa rapax vis corripit undæ,
Contorquetque æstu, sævoque absorbet hiatu.
Sic tibi materies ea diro agitata per orbem
Protinus offensu circa se turbine magno
Volvetur, liquidumque illa ratione fluensque
Constituet corpus; debet quod proinde rotundum
Esse: rotatur enim se circa; hoc dicimus Astrum:
Quod circumpositas quia turbinis impete magno
Impulsuque Pilas, Elementa secunda, valenti
Arjetat, hisque auget proin nisus effugiendi;
Est opus, ut multam videatur fundere lucis
Undique vim magni in regiones Vorticis omnes:
Quandoquidem vis hæc lucis natura reperta est.
At si materies Elementi percita primi
Vorticis alterutrum velocius ingrediatur,
Qua via facta, polum; sed tardius altera multo
Opposita de parte meet; tum volvier Astrum,
Non erit, ut possit media regione viaï,
At fulgere polo tanto vicinius uni,
Quanto hac motus erit mage segnis materiaï.
Denique consimili pariter ratione fatendum est,
Si de parte Scobi pateat magis exitus una,
Astrum non medio statuendum in Vorticis orbe
Esse; quia a medio plus partem accedet ad illam,
Liberior primo patet exitus unde Elemento.
Idcirco æstivo Tellus mage tempore distat,
Horrida quam brumæ per frigora, Solis ab igne:

Quandoquidem medium non obtinet orbe suo Sol
Vorticis hujus eam, quam dicimus, ob rationem:
Forsan ob hanc etiam, non æquis viribus extra
Quod Vortex omni de parte prematur; & inde
Parte hac excurrat protensior, arctior illa,
Et sese oblongi speciem conformet in ovi.
Propterea haud æquum gradiuntur & astra per orbem.
Idcirco Tellus unam quoque serius orbis
Absolvit magni partem, pluresque dierum
Actos circuitus æquatis Veris ab horis
Ad medium Autumnum proinde enumerabis, ab ipso
Quam contra Autumno nimirum ad tempora Veris.
Nec tibi propterea est illud mirabile habendum,
Quare Terra magis, cum distat longius, igne
Usta calet Solis; quoniam æstas tempore tali
Rectius a radiis fit descendentibus, atqui
Et mage condensis, gelido quam frigore brumæ,
Cum Terram obliqua tangunt ratione meantes.
Porro particulæ, quas diximus esse Elementi
De numero alterius quavis de parte rotundas,
Quæ magis accedunt medios ad Turbinis æstus,
Esse magis celeres debent, atque ocyus ire,
Quam reliquæ, a medio quæ Vortice longius absunt,
Propterea, primi quia fortius exagitantur
Viribus a validis Elementi, ideoque minores
Debent esse: etenim majori mole vel æqua
Si sint cum reliquis, supra quæ tardius errant,
Debebunt alias subito super insiluisse,
Atque aliis longe magis usque recedere: nam vis
Major inesset ob id, motus pernicior illis
Quandoquidem est, circumque suo ocyus orbe feruntur.
Augminis hæc ratio, qua scilicet esse remotas
Majores opus est partes, per Vorticis omnes
Non valet extendi regiones: namque necesse est
Post ingens spatium tum demum existere partes
Mole pari, atque alia motus ratione cieri,
Ocyus extremas, quam quæ procul haud ita distant.
Scilicet

Scilicet & ratio eſt, quoniam cum corpora in orbem
Acta cientur, in extremis, fateare neceſſe eſt,
Finibus illius quod vis pernicior extet:
Nam properant partes majorem tempore eodem
Conficere, ac aliæ, quibus eſt minor ambitus, orbem.
Adjice præterea, quod, quæ regionibus errant
Extremis, urgentur, & impelluntur ab ipſis,
Extra contigui qui ſunt, ſpatiumque coarctant,
Vorticibus: quare eſt motus violentior illic.
  Nunc, quoniam docui, quæ prima ſecundaque rerum
Sint Elementa, & qua motus ratione ferantur,
Tertia jam illorum quæ ſit natura, tuamur.
Nec me animi certe fallit, quod triſtior eſſe
Hæc ratio plerumque videtur, qua tibi motus,
Vorticibus rapidis quales ſint, edere pergo;
Tandem ut turbinibus jam jam laſſata teneri
Mens facile haud poſſit noſtris in verſibus, atque
Elabi ſibi multa ſinat, quæ ſcire neceſſe eſt
Funditus ad rerum naturam perſpiciendam.
Proin opus eſt facto, veluti, qui lumina figunt
Artifices in rem tenuem perquamque minutam,
Sæpe fatigatos oculos jamjamque trementes
Inter opus vertunt in amicæ lumina lucis
Gemmarum, prope quas cupiunt id propter habere,
Lumina ut aſpectu tali recreata valeſcant;
Sic opus eſt, inquam, dum prima Elementa, quibus res
In mundo gerit omniparens Natura, ſuoſque
Auctificos motus evolvimus ac genitales,
Interdum res in varias avertere mentem,
Quæ plus collibeant, animus magis unde juvetur,
Robur ut inde ſuum vireſque recolligat auctas.
Hoc age, ſi ſit opus; porro renovare memento
Intermiſſam operam, dicendaque protinus audi.
  Et quoniam tenuis Scobs, fractis orta Pilarum
Quæ fuit angululis, varianti eſt prædita forma
Multiplicique figurarum ratione, nec æqua
Mobilitate fluit motus, fateare neceſſe eſt,

Ipſa ſuis quod perplexis plerumque figuris
Endopedita una nectatur, conque globetur,
Inque ita majorem concreſcat corporis auctum.
Et cum deinde meare per intervalla Pilarum
Debeat, ipſius ſulcos in mole cavatos
Hac ratione opus eſt fieri corpuſque ſtriatum.
Corpus id, ut ſolidum minus eſt pro mole, ſuoque
Languidius motu, quam cætera quæque, cietur,
Debet propterea retro trudi atque repelli,
Inque polum redigi, motus quo tenuior extat,
Alterutrum: veluti ſi ligna in fluminis undas
Immittas medias, qua vis properantior harum eſt,
Illa ſequi celerem non poſſe videbis aquarum
Curſum, aſt alterutram trudi impellique repente
Propterea ad ripam, qua ſegnior impetus urget
Fluminis: illa etiam moles ſic corporis, una
Quæ de perplexis inter ſe primi Elementi
Particulis concrevit, & hinc redigetur & illinc
Axis ad extremas, ubi curſus tardior, oras.
Hinc correpta ſimul medium deſcendet in Aſtrum,
Cum valido primi ſubito torrente Elementi.
Illud in his obſignatum ſed oportet habere,
Corpora de genere hoc quod quæ compulſa per unum
Sunt tranſire polum, ſulcos de parte retortos
Evolvunt alia, quam qua ſunt parte ſtriata,
Oppoſitum per iter veniunt quæ miſſa polorum.
Nam veluti adverſa ſeſe polus inter uterque
A parte hinc illinc opponitur, uſque neceſſe eſt,
Oppoſitis quæcumque polorum a partibus acta
Corpora ſunt, ut item cieantur ab impete motus
Oppoſiti: porro motu ſulcique ſtriæque
Quandoquidem fiunt, pariter de partibus eſſe
Oppoſitis perarata retortaque corpora debent.
Quæ compulſa polis dein corpora cum venere
In medium, fit ubi, ſupera ut claravimus, Aſtrum,
Ejus turbineam neque vim ſuperare, neque intus
Merſa manere queunt, extra ſed ab ictibus atque

Vi

Vi valida motus primi rejecta Elementi,
Multaque ſeſe inter magnis impulſibus una
Sic conjuncta tegent agitatum extrinſecus Aſtrum,
Atque illa maculas tenebrarum parte refundent.
  Quod genus eſt maculas tibi claro in Sole tueri
Hac ratione; domum, facito, per tenue foramen
Ingrediantur in obſcuram radiantia Solis
Lumina; tum vitreo radiorum ea lumina clauſus
Excipies tubulo: dein egredientia multos
Poſt vitri anfractus pura ſuper ipſe papyro
Objecta facies parvo clareſcere in orbe.
Protinus hac longe tenues longeque minutas
Diffundi maculas in Solis imagine cernes.
Quare opus eſt, labes etiam fatearis in ipſa
(Nec ſecus id fieret) reperiri lampade Solis.
  Illinc ſcire licet ſe circa vertier Aſtrum:
Hærentes illi maculæ nam conſpiciuntur
Occidere a nobis nimirum & rurſus oriri
Haud ſpatiis inter ſeſe variantibus: ergo
A Solis motu circumlatæ eſse videri
Debent: perque dies quia ter prope in orbe novenos
Perſtant, idcirco tanto Sol tempore circa
Se peragit gyrum, & magno rotat impete lucem.
  Quarum etiam hoc melius poteris cognoſcere pacto
Naturam, ſi, quæ ſimili ratione geruntur
Hic nos inter, ea, qua polles, mente revolvas.
Scilicet impuros undæ cum flamma liquores
Concoquit, ex illis ferventibus atque agitatis
Spumam exire, ſuperque undas innare videbis
Non ratione alia, quam quod permixta liquori
Materies alienigenis ex rebus eadem
Vi nequit ignis agi, qua concita lympha cietur:
Quare ferventi ex humore exire neceſse eſt
Illam, ipſiſque undis disjungi, conque ligatam
Hærere inter ſe, ſupraque extare liquores.
  Et quoniam, unda diu valido ſi ferveat igne,
Spumam diſſipat, & magnis fervoribus actam
Diſperdit;

Diſperdit; pariter fieri hoc in Sole rearis;
Scilicet interdum maculas conſumier æſtu
Vorticis illius, rapidoque perire rotatu:
Attamen abſumtis ſuccedunt uſque recentes,
Sæpe quidem plures, quam quæ periere; novæque
Molem aliis maculæ plerumque manentibus addunt;
Majorem debent proin lucem ſubtrahere Aſtro.
  Propterea, ut memorant, lux ſæpe eſt languida Solis
Viſa, atque obtuſo tabeſcere lumine ſæpe
Decolor; ignaris timor ut Mortalibus ingens
Exortus trepidis ſuffecerit argumenta
Mentibus exitium cælo terræque parari,
Omniaque horriſono jamjam ruitura fragore.
Sic fuit, ut toto langueret pallidus anno,
Et nitidum obſcura ferrugine tingeret Orbem,
Curia Cæſareo quondam cum ſparſa maderet
Sanguine: proin mœſta tenuem cum luce calorem
Fundebat cælo; gravis ut caligine denſa
Deſuper incumbens horreret frigidus aër,
Et non percoctis ſquallerent frugibus agri:
Viſus item Sol eſt per cæli templa vagari
Clarior aſſueto: maculas cum ſcilicet atras
Sorberet victor, motuque reſolveret acri.
Quin etiam, propriam quæ jactant ſidera lucem,
Interdum exiguum cælo demittere lumen,
Tergemina interdum veluti reviviſcere flamma:
Nimirum ut maculis circumfunduntur opacis.
  Accidit, ut maculis quoque denſis ſæpe coortis
Undique velatum nigra ferrugine Sidus
Fulgorem condat nobis, penituſque videri
Deſinat, aſpectu ſubtractum ſcilicet omni.
Idcirco ſeptem cum Plejadas Atlanteas
Ante fuiſſe ferant cælo, poſt excidit una
De numero: nam ſex clara de nocte videntur
Dumtaxat; quoniam quæ quondam ſeptima fulſit,
Jam lucem maculis obduxit nigra coortis.
At, placuere quibus mendacia ludicra, dicunt,

Sex

Sex Nuptas Divûm in thalamos ivisse Sorores,
Septima mortali Merope tibi, Sisyphe, nupsit:
Propterea claras inter pudibunda Sorores
Delituit cælo. Varia est sententia multis,
Nimirum Trojæ non funera Trojugenûmque
Unam harum Electram memorant potuisse tueri,
Aversamque ideo vultus, oculisque pudicas
Opposuisse manus: quantus dolor iste fuisset,
Nunc quoque qui terris avertere cogeret ora!
  Adde, quod illa ipsa poterit ratione repente
Apparere novum radiis orientibus Astrum,
Ante videre fuit quod nusquam: id scilicet illo
Tempore continget, medio cum in Vortice, ubi Astrum est,
Prima redundabunt vi multa Elementa, superque
Fundentur maculas ingenti percita motu,
Immersasque tegent: lucem tum protinus Astrum
Exeret haud maculis obstantibus interceptam.
De genere hoc visum est in Sidere Cassiopeæ
Astrum luce novum majori ardere, sereno
Quam micat Idalium, mage cum nitet, æthere Sidus.
Hæc nova tum lucis species objecta repente
Mira videbatur; tantam ut propter novitatem
Suspicerent Homines in cæli lucida templa.
Sed dehinc paulatim decrescente inque minuto
Lumine conspectus hominum subducta refugit
Tandem Stella recens, maculisque obducta negavit
Lumen, ut ante, suum, penitusque evanuit omnis.
Altera post paulo est in Cycno visa: sed ipsa,
Atque aliæ pariter, quas conspexere micantem
Ex improviso terris ostendere lucem,
Velatæ maculis tandem nigrantibus ignis
Fulgorem aspectu prorsum eripuere videntum.
Est etiam cælo nuper servata sereno
Stella, micat magni quæ collo consita Ceti:
Hanc referunt cælo nasci, extinguique quotannis,
Propterea forsan, quia dum convertitur ipsa
Circa se, ut pariter converti diximus orbem

Solis,

Solis, nunc claram maculiſque neceſse carentem
Exhibeat partem, nunc, quæ eſt obſcura, revolvat.
  Atque ea, quæ dico labes offundere Soli,
Corpora, ſi celeri ſubito rejecta rotatu
Non jungantur, uti maculas componere poſſint,
Sed disjecta fluant extra, magnoque ferantur
Impete, tum Solem quendam velut aëra circa
Conſtituent, longe qui Vorticis in regiones
Procurrit magnas; magnis quia viribus illa
Ejiciuntur, uti longe procurrere poſſint.
Aër nec penitus forma queat ille rotunda
Eſse; ſed in morem lentis mage tollitur illis
Partibus, a geminis quæ diſtant ſcilicet æque
Solis utrinque polis: nam corpora fortius illinc
Ejiciuntur, uti longe procurrere poſſint.
Hinc protenſa quidem per cælum ſepe videtur
Lucida ſurgentem præcurrere Lancea Solem,
Occiduumque ſequi. Prælonga cuſpide primum
Tollitur exoriens; poſt latior uſque videtur
In Solem. Hoc cernas nimirum, innubilus aër
Et cæli facies ſi ſit nitidiſſima noxque
Illunis. Fiunt plus longa crepuſcula ſæpe
Illius ob lucem; ſiquidem quæ fluvida Solem
Ambit materies, liquidi cum impurior aura
Ætheris hæc conſtet, radios reflectere debet:
Haud ſecus ac Solis radios Telluris hic aër
Ad noſtras acies reflectit, conditus undis
Nuper ubi Sol eſt, vel ubi jam proximus adſtat
Cardine in Eoo lucemque diemque daturus.
  Languida nunc ea lux, nunc eſt mage clara: neceſse eſt
Denſior idcirco ſit ſæpe & rarior ipſa
Lucida materies, queat ut reflectere Solis
Viribus haud æquis radios: nunc cuſpide utrinque
Protenſa videas procurrere ſæpe vel ultra
Tellurem, retrahi nunc atque recedere longe,
Ut minor aut major nimirum materiaï
Copia ferventi Solis jactatur ab Aſtro,

Aut valida plus sive minus disjecta fugit vi.
Nunc supera a dictis deducam, qua ratione
Quilibet absumi Vortex queat atque perire.
Nimirum, maculæ texere ubi corpore denso
Undique, quod medio manet æstu Vorticis, Astrum,
Objice perfracto nequeat discurrere ut extra
Primi materies Elementi inclusa sub illis,
Turbineumque agitare citatis viribus æstum;
Imbecillus eam rem propter Vorticis ejus
Motus erit, fietque remissior illa rapax vis;
Ut proin finitimis haud contra obsistere possit
Vorticibus, valido qui certant impete motus
Pertrahere ad sese secumque revolvere raptum.
Quapropter cum non obstet, velut ante, trahenti,
Alterius prorsum debebit Turbinis æstu,
Ejus præ reliquis, cui vis violentior extat,
Sorberi, seseque alieno evolvere motu
Confusus, nec jam suus; atque illabier una
Astrum etiam maculis circumtectum undique nigris
Usque adeo, ut corpus videatur prorsus opacum.
Hinc tibi perfacili poterit ratione patere,
Constare unde queant palantia Sidera Tellus
Lunaque & insueta fulgentes luce Cometæ.
Sed primo, supera paulo quæ dicta, revolve.
Nimirum quod, quæ a media regione remotæ
Vorticis, has partes propioribus esse fatendum
Majores multo, motuque minore cieri.
Nec ratio hæc omnes debet, velut ante probatum,
Vorticis extendi in regiones: namque necesse est
Post ingens spatium tum demum existere partes
Mole pari, ast motus alia ratione cieri.
Ocyus extremas, quam quæ procul haud ita distant.
His tibi suppositis rebus super atque probatis,
Concipe, quod rapido sorbetur Vorticis æstu,
Multum in se pro mole sua complectier Astrum
Materiæ, solidique nimis proin corporis auctu
Constare. Hoc fines ubi Vorticis unius Astrum

In-

Ingressum est; quoniam extremis in finibus ingens
Est motus, valida motus vi debet earum
Vorticis in medium trudi impellique Pilarum:
Dumque intro trudetur, idem vim debet âpisci
Sese in circuitum pariter cum Turbine toto
Valvendi: quare, prius ac descendat ad illas,
Languidiore meant quæ motus impete, partes,
Si circum majore Pilis, quas tangit, agi vi
Incipiat, nimium solido quia corpore constat,
Non ultra descendet; at ejus ut impetus extat
Major, contiguis quam partibus, egrediendi,
Ascendens medio de Vorticis usque recedet;
Majoresque fuga fugiendi augescere nisus
Debent; donec eo prorsus de Vortice tandem
Elabatur: at egrediens in Vorticis æstus
Incidet alterius, pariterque exibit ab illo
Porro in finitimum; semperque errabit eodem,
Quo doceo, pacto varios ratione per æstus
Fortuita certo nec motu aut tempore certo.
 Atque ea conveniant nimirum ut cuncta Cometis;
Servatum est, cælo cum visi ardere Cometæ;
Nam motu neque eunt certo neque tempore certo:
Quamvis usque adeo se rari tempore longo
Ostendant, ut, si certum quid constat in illis,
Propterea, raro quia visi, haud nosse queamus.
Forsan & hæc melius ventura ætate patebunt,
Namque ea præteritos cælo servata per annos
Noscere quibit, & antiquis præsentia rebus
Conferet, ut videat, si quidquam hæc convenit inter,
Qui sit motus, uti redeant, abeantque videntum
Ex oculis, quin & loca eorum & tempora signet:
Non evolvendis ætas his sufficit una.
 Hoc Astrum, unde tibi dico constare Cometas,
Innatat ingressum cum nostro in Vortice, Solis,
Quod recipit, lumen reflectit corpore opaco.
Tempore propterea tali apparere Cometæ
Lux oculis debet nostris visumque ferire.

Por-

Porro cum noſtro fugiens de Vortice longe
Abſceſſit, non lux aciem reflexa valebit,
Ut videatur id a nobis, contingere noſtram;
Quandoquidem interſunt mediorum immenſa locorum.
 Ut tamen in dubiis varia eſt ſententia rebus;
Contendunt multi vaga Vortice Sidera noſtro,
Ut Venus & Mavors & Juppiter, eſſe Cometas,
Qui magnos circa Solem rapiantur in orbes,
At non circuitus media in regione manentem,
Verum vicinos nunc illi accedere, contra
Abductos ſpatiis nunc longe immanibus ire.
Proinde ubi jam longe longeque a Sole receſſit
Aſtrum, haud a nobis lumen, quod tenue reflectit
Ob longinqua; quibus diſtat, loca, poſſe videri:
Poſſe tamen, propius cum Soli acceſſit; ab ejus
Si tamen haud radiis propioribus involvatur,
Si ſupera & noſtrum clara de nocte feratur
Per cælum; magnos ita rentur ſcilicet orbes
Talibus abſolvi diuturno tempore ab Aſtris:
Proin, quoniam longos in Solem tarda revertunt
Poſt annos, neque tum, cum jam rediere, videri
Interdum a nobis poſſunt, ſive obruta Solis
A radiis, noſtro ſeu luce extantia cælo;
Non bene conveniunt, quæ ſunt ſervata, queamus
Per cælum ut certos horum deprendere motus.
Propterea poſſis quoque dicere, corpora circum
Multa Cometarum a medio raptarier Aſtro,
Non tamen immoto, ſed Solem obeunte manentem;
Rapta quoque ut Lunam Tellus vehit: illud at ingens
Non poſſe ob ſpatium, quo jam procul uſque receſſit
Disjunctum, tenui diſperſa luce videri.
Haud alio apparent ergo illi tempore nobis,
Quam cum ſe a noſtra propiores parte revolvunt,
Demittuntque; latent immenſo cætera cælo.
 Tutemet aſpicies raro fulgere Cometam,
Quin longos lucis videas emittere tractus.
Si quid in incerta re conjectare valemus,

Haud

Haud male refractæ per cælum, dum loca tranat,
Id tribuas luci, quæ pro regione ſituque
Diverſa noſtras acies ratione laceſſit.
Sin, hoc ne credas; obſtat, quod ſidera quæque
Cum longo pariter deberent crine videri,
Hoc alio melius rem clarem fors tibi pacto
Aſtrorum, genus hoc, tali conſtare putandum eſt
Corpora textura, Phœbeo ut tacta calore
Ingentes poſſint facile exhalare vapores
In ſpeciem fumi, flammis velut humida ligna.
Quod magis ut veri noſcas ſimile eſſe: videntur
Hi tractus longum, prope cum Sol, creſcere ſemper
In ſpatium, & partem cæli comprendere magnam;
Cum procul eſt, contra curtato incedere tractu
Per cælum, & longa decreſcere luce: ſed uſque
Eſt opus adverſa ut Solis regione feratur
Fumida materies viſque exhalata vaporum:
Nam motu acquirunt levitatem, ut ſcandere poſſint
Altius, educti liquido velut aëre fumi.
Hos tibi præterea lucem dare poſſe vapores
Credendum eſt; quoniam radios reflectere Solis
Poſſe quis inficias eat? ut ſuſpenſa per auras
Nubila reflectunt. Hæc nos Caudata vocamus
Sidera, cum caudæ nimirum more ſequuntur
Aſtrum Phœbeo lucentes lumine fumi:
Sin vero partem, Sidus quo tendit, in illam
Directi ſpatio præcurrant anteriori,
Lucem, quæ Sidus prævortit, dicere Barbam
Suemus: ſæpe comas quoque circum hæc fundere cernes
Sidera, ab oppoſita Soli cum parte feruntur.
  Denique (rebus in his nec multa indicta relinquo,
Ut, quam Hominum varii, poſſis dignoſcere, ſenſus)
Non deerunt multi quoque præſertimque repertis
Hærentes Veterum, quorum ſententia Veri
Inſtar habet normæ, tam prona mente ſequuntur
Sæpe etiam errantes, velut ipſa Oracula Divûm:
Non deerunt, inquam, qui jam nihil eſſe Cometas
Con-

Contendant; quam, quos exhalat Terra, vapores
Sublatos ſuperas tenui cum corpore in auras;
Nubila uti nebulæque volantiaque Aſtra genuntur:
Magnopere in qua mî ratione errare videntur
Propterea, quia ſe nubes aliique vapores
Non procul extollunt Terra: cum ſæpe Cometæ
Omnia fulgentes ultra vaga Sidera diſtent.
At vehementer in his vitium hoc fuge, quod tibi pacem
Delibare animi queat & turbare timore;
Nimirum dira ne credas luce Cometas
Vertere Regna, famem portendere, certaque Regum
Funera peſtiferamque luem terræque tremores
Inſolitos, & quæ, genus hoc, ſunt cætera, vulgus
Affore quæ jurat dubio procul inque minere.
Nil humana quidem ſuffundere pectora vulgo
Unquam conſimili potuit nigrore metus, quam
Ignorantia cauſarum & rationis egeſtas.
Primum ubi nam cælo Mortales fulgere lucem
Ex improviſo objectam videre Cometæ;
Cum neque tum cauſam novitate exterrita ſcirent
Corda, neque incaſſum cælo apparere putarent,
Dirum ſi quid in hoc terrarum protinus orbe
Acciderat, bellum cædes morbique ſameſque
Funeraque, ex illa repetebant luce coortum.
At cur non aliquid lætum, quod deinde ſequatur,
Fulgori referant inopini luminis ejus?
Tempore cum nullo terræ regionibus ullis
Non interveniant felicia triſtibus, atque
Intermixta malis non ſint bona, quæ videantur
Eſſe novam cælo comitata ſecutaque lucem.
Præſertim cum, quod ſumma ratione creatum eſt
Numinis, eſſe nequit, niſi totius utilitatem
Propter Summaï, atque bono ſervarier ejus:
Namque ſuo prodeſt Toti pars, ipſaque partem
Pars aliam juvat, ut ſecum non diſſonet Omne.
Aſtrum præterea, vi langueſcente ſua quod
Vorticis alterius victum ſorbetur ab æſtu,

Corpore ſi ſolido conſtet minus, ut queat alte
Jam medio propius deſcendere, tranſque meare
Illa loca, in motus ubi copia particularum
It ſegnes longe, atque agitur tardiſſimus orbis,
Illuc perveniet tandem, quo fortius ipſum,
Languidiuſque Pilis non ſit tangentibus; æqua
Inter eas ſed vi libratum cogier ultra,
Non erit, ut poſſit deſcendere: namque vel ultra
Si deſcendat, eas in partes materiaï
Protinus incurrens, quæ conſtant mole minori,
Proinde minus ſolidæ ſunt & minus uſque valentes,
Aſtrum perceleri motu reſilire repente
Debet: item ſupera neque contra aſcendere poſſit
Hinc, ubi libratis agitatur viribus æquo
Momine; quandoquidem ſi ſupra aſcenderet Aſtrum,
Contiguæ partes vi tum majore repulſum
Reſpuere, & plagis intro propellere poſſent.
Reſtat, ut hæc igitur conſiſtere debeat uſque
In regione loci, quo par vis illius extat,
Incidit inter quas, cum motu particularum.
Atque his exemplum rationibus addere coner.
In vitreum ſi vas argenti pondera vivi
Infundas pluviaſque undas oleumque, levemque
Poſt Bacchi florem, componit quiſque loco ſe
Non mixtus liquor, atque alium eſt ſuper editus alter
Pro gravitate ſua: vario tum corpora merge
Pondere; vis auri fundum penetrabit ad imum;
At ſuper argenti ferrum ſaxumque liquores
Extabit ſub aquis; ſuper undas flava natabit
Cera prius perrupto oleo; non rumpet olivum
Quercu de viridi ramus, ſub flore Lyæi
Immerſus licet; hunc abies hunc fraxinus, ulmus,
Fruſtaque de genere hoc leviorum plurima rerum
Non vincent, ſed ſe ſuper illum educta locabunt.
Sic etiam gravitate ſua ſe quodlibet Aſtrum
Defert inter eas partes, quæ viribus æquis
Sint, & ubi cunctos libratum perſtet in annos.

Tunc

Tunc una a rapido versabitur impete circum
Vorticis, atque una Solem æquo tempore obibit.
Rebus ab his patefit, qua sint ratione coorta
Astra, vago cursu quæ cælo cumque feruntur,
Atque obeunt rapido volventem turbine Solem.
Nimirum Saturnus & altus Juppiter & Mars
Terraque fulgentique Venus nitidissima luce
Proximus & Solis medio Cyllenius igni
Ante fuere, velut Sol est modo fixaque cælo
Sidera, quæ proprio rutilantia Vortice perstant.
Sed porro propter maculas absorpta furenti
Sunt a Sole, velut fieri paulo ante probatum est.
Hac ratione putes etiam, quæ multa perenni
Saturnumque Jovemque videntur obire meatu,
Astra fuisse suo cum Vortice, deinde coortis
A maculis solidata in eorum rapta valentes
Turbineos motus. Lunam quoque, cum fuit Astrum
Terra, pari Terræ ratione rearis in æstum
Descendisse; velut Solis descendit in æstum
Dehinc Tellus pariter solido cum corpore Lunæ.
Verum alia genitum longe ratione rearis,
Qui medium circa suspenditur Annulus orbem
Saturni, genus hoc, unum & mirabile Mundo
Spectaclum. Si quid nobis est conjiciendum
Rebus in obscuris; fuit ille in origine prima
Saturni crustæ pars forsitan exterioris,
In nucleum immani quæ lapsa est denique casu;
Quo casu haud valuit mediam illam involvere partem;
Unde manet tantæ monumentum hæc grande ruinæ.
Jam quoque constat, uti palantia Sidera, quæ sunt
Mole magis solida, majoribus intervallis
A medio distent; vicinius illa locentur
Queis solidi minus est auctus. Et mole minori,
Quam Tellus, quamvis Mars sit, magis ipse videtur
Esse tamen solidus, cum plus a Sole recedat:
Majorum libratur enim cum mole Pilarum.
Præterea mage quæ distant, ea segnius orbem

Conficiunt, quam quæ Soli vicina feruntur;
Quandoquidem, ut supera quoque dixi, Vorticis illæ,
Quæ medio magis accedunt, citiore feruntur
Particulæ motu, at segni, quæ longius absunt:
Et cum participent harum vaga Sidera cursum,
Circa, opus est, Solem ratione ferantur eadem.
Tum quoque scire licet, dum Lunæ circuit orbis
Tellurem, hanc fluidæ, quæcumque interjacet, auræ
Materiem proprii pariter vertigine motus
Raptari; Terramque ita circum Vorticis æstum,
Fac, fieri exiguum reputes, quo fluvida cæli
Vis in circuitum rapiatur; at ultimus orbis
Æquis non spatiis omni est de parte remotus
Terraï a medio, sed supra arctatur & infra
Amplior ad latera; urgetur quia desuper a vi
Multarum majore Pilarum, respuiturque:
Inferiusque ægre contra descendit ob ipsam
Vim, qua librari media regione reposcit.
Non immota suo Tellus in Vortice perstat,
Sed corpus circa se totum agitata revolvit,
Ut docui: quoniam, si concipis ante fuisse
Astrum, quod nunc est Tellus, fateare necesse est,
Primi materiem crusta jam clausam Elementi
Esse sub hac, nihilo-minus acri concita motu
Quæ Terræ molem ratione volutet eadem,
Qua quondam, fluidum dum Tellus constitit Astrum,
Propterea ratione pari quoque Sidera volvi
Cætera se circa reputes errantia cælo:
Adde quoque & longa fulgentes luce Cometas,
Quorum cauda, vapor nempe exhalatus ab illis,
Nigranti interdum distingui haud simplice filo
Cernitur, oppositam quod ab una transit ad oram;
Indicat impressum quod in ejus origine motum.
Nec non & Phœben, dum Terram circuit ejus
Vortice rapta, super proprio semel axe fatendum est
Circumagi. Quonam fieri sed denique pacto
Possit, uti sese circa se Luna revolvat,

Et

Et ſemper faciem nobis obvertat eandem,
(Nunquam non eadem pars ejus namque videtur)
Protinus exemplo manifeſtum id percipe tali.
Sic obeat media ſtantem regione columnam,
Fac, Puer, ut vultu ſemper converſus eandem
Aſpiciat: toties uno ſemel orbe revolvi
Ipſum ſe circa(tu motum adverte) notabis.
Scilicet ex una ſi Lunam parte rearis
Eſſe magis ſolidam, parte hac extabit, ineſſe
Fortior ut cui vis debet, qua Vortice tentat
Effugere e medio; faciemque voluta, neceſſe eſt,
Propterea vertat, cui ſit minor impetus, intro.
Porro non illud poterit mirabile dici,
Quare Signiferi ſemper declinet ab axe
Orbis hic, errantem Terram qui ſuſtinet, axis,
Propterea, quoniam eſt eadem poſitura ſituſque
Terræ utriuſque poli nunc, ut fuit ante, ſuo dum
Vortice conſtabat Tellus, Aſtrumque nitebat:
Atque eadem extremis nunc finibus aſpicit axis,
Aſpiciebat eo quæ tempore, ſidera: quare
Non eſt mirandum ſeſe inter uterque quod axis
Mutua declinet; quoniam nec conveniebat
Inter eos, etiam dum Tellus conſtitit Aſtrum.
Demum perfacile eſt rationem reddere dictis
Errorum, quibus a cœpto vaga Cynthia curſu
Multimodis flectit, non motu atque orbibus ipſis
Non ſpatiis nec re ſibi conſtans denique in ulla:
Ut non ulla magis res torqueat, excrucietque
Illos, qui numeris & certa includere lege
Aſtrorum tentant curſus orbeſque vagantum.
Illa quidem geminis opus eſt impulſibus uſque
Pareat, & Terræ, proprio quæ Vortice raptat,
Et Solis, pariter qui circumvectat eandem
Cum Terra: quapropter agens vis utraque ſemper
Diverſa ratione facit, variante feratur
Et motu & ſpatio, neque certis orbibus erret.
Conſimili ratione potes diſſolvere, quidquid

Cætera turbato peccant vaga Sidera cursu:
Corpora sublato nam cum nectantur inani
Corporibus, possintque a summis ima moveri,
Summaque ab his pariter, quoniam sunt utraque nexa
A mediis; ut agant, opus est, & agantur ab ipsis
Disjunctis etiam disjuncta remotaque rebus.
Quo magis inter se distant, hic mutuus esse
Impulsus debet minor, at violentior inter
Corpora, quæ spatiis non sunt distantia tantis.
Quapropter Luna, & quæ sunt errantia cælo
Sidera, quandoquidem a disjunctis atque propinquis
Corporibus varias in partes undique aguntur
Multimodis, non impulsu non viribus æquis,
Debent tot variis ideo rationibus orbes
Et motus mutare suos, quot corpora passim
Constant in Summa rerum, quæ mota cientur;
Omnia quandoquidem, quæ concita cumque feruntur,
Diffundunt vires etiam in longinqua per inter-
Jecta loca, & vacui quæ sunt expertia prorsus.
Cætera quin etiam, genus hoc, quæcumque videntur
Per cælum, facili poteris cognoscere nisu,
Si positas supera rationes mente revolvis,
Idque tibi certo possum promittere, mentis
Non a te magnas ullam rem poscere curas,
Conque sequi parvo te plurima posse labore;
Si tamen institeris vestigia certa viaï.
Namque ut montivagus Venator, sæpe feraï
Signa pedum silvis ubi comperit, impiger illuc
Consequitur gaudens, quo pergunt ducere fixa
In prædam: neque enim poterit tunc illa sequenti
Elabi, & tuta intectam se condere fronde;
Ducere sic certam rerum vestigia mentem
Parva queunt etiam, capiat quo præmia Veri
Dulcia, jucundo nec non quæsita labore:
Oblectant animos ipsi nam sæpe labores,
Scilicet & magno quædam insudare voluptas
Est operi; quin in condendis versibus ipsis,

Quam-

Quamvis multa mihi multo sint verba labore
Conquirenda, queant numeris quæ clausa modisque
Carminis obscuras penitus res lumine claro
Convestire, tuæque diem præpandere menti,
Oblector tamen in condendis versibus ipsis.
Quin etiam Veri mentem magis ipse necesse est
Quærendi labor alliciat; præstantius ejus
Nam desiderium est, & mentibus altius hæret;
Ulla nec est specie Veri res aptior ipsis.
Quare ne nostro pigreris carmine; quanquam
Desunt multa, placent quæ fors audita Poëtis
Ex aliis; neque enim pugnata sub Ilio alto
Bella cano, nec habet teneros hoc carmen amores,
Nec pastorales sub frondosa ilice curas;
Amphitryoniadæ non magni hic nomina factaque
Inclita sunt; domitis jamdudum Liber ab Indis
Victor agens tigres rediit; neque tempore nostro
Vidimus unquam ullas Silvestria Numina Nymphas
Panaque: prisca tulit secum hæc ludicra Vetustas,
Et teneris tantum Puerorum mentibus atque
Mollibus ingeniis post se tractanda reliquit.
At quibus est Animi vis auctior, illa refutant,
Vestigantque avidi veras rerum rationes.
Quare age, cunctarum si jam primordia rerum
Certa tenes, porro, quæ cætera cumque supersunt,
Evolvamus ab his, unde ipsa exorta videntur.
Et quoniam docui, Terraï corpora circum
Cæli materiem rapidos per Vorticis æstus
Volvier; idcirco magnis ea viribus extra
Nititur elabi, medioque recedere motus,
Scilicet a Terra; medium namque obtinet ipsa.
Et quia particulis omni de parte rotundis
Cæli materies, nimirum Elementa secunda,
Constat, propter eam debet majore figuram
Vi niti ad citius, quo pellitur, egrediendum,
E Terraque recedendum, quam corpora possint
Quælibet alterius cujusvis cumque figuræ.

Namque, ut Menſores certa ratione fatentur,
Tantum in corpore ineſt haud ullo materiaï
Extima quam ſi ſit facies de parte rotunda
Omni more pilæ, reliquis quapropter oportet
Corporibus præſtent niſu, quo longius ire
Pugnant a Terra, medio quæ Vortice conſtat.
Hinc rerum Gravitas patefactaque certa videtur
Ponderis hinc ratio, quo deorſum multa feruntur:
Nam ſi de terra ſublati pondera ſaxi
Projicias ſurſum, ſubito tum obſtabit eunti
Fluvida materies multarum objecta Pilarum
Tanta mole ſui, quanto lapis augmine conſtat.
Quæ quoniam majore recedere nititur extra
Impete, uti docui, quam ſaxi corpora, quævis
Aut alia, idcirco valido certamine victrix
Corpora cuncta locis propellet ab omnibus intro
In Terram, cogetque redire, repulſaque deorſum
Labi, & humum caſu graviter properante ferire.
Inde Graves res, in terram quæ pondere ab alto
Delabuntur, uti lignum eſt aurumque lapiſque
Lanaque item & ſiccæ frondes plumæque volucrum:
Aſt hæc tenuia ſunt quæ corpora raraque longe,
Horum quandoquidem per multa foramina liber
Particulis fluidæ eſt egreſſus materiaï,
Non ita vehementer ſubtus truduntur, euntque
Lentius in terram, quam quæ ſolidiſſima conſtant:
Namque ea condenſa præſtantia mole receptant
Nullas, quæ paulum ſuſtentent tranſgrediendo,
Particulas in ſe ſubtilis materiaï.
Propterea ſolido vis eſt gravitatis in auro,
Quam nivis in floccis aut lanæ glomere, major.
Proinde aliis alias rebus præſtare videmus
Pondere res; quoniam non omnia reſpuit æque
Vis ea materiæ; ſed, quæ plus denſa, premuntur
Fortius & citius, contextus quam quibus extat
Rarior, interſuntque foramina multa viæque.
Aëriæ quanquam quoque rerum pondera iniqua

Men-

Menſura immutant auræ: gravitatis in illis
Nam plus amittunt longe, quæ corpore raro
Sunt & contextu tenui lataque figura,
Quam ſolido quæ ſunt auctu, & mage denſa feruntur;
Ut pro materia non conſtent pondera rebus.
At contra labi prope eodem tempore cernes
Pertenues plumas grave & aurum in fornice vitri
Omnibus exhauſto, quantum licet, aëris auris;
Cujus, poſt referam, quæ ſit ſtructura, quis uſus:
Scilicet ut quodvis rarum denſumve ruendo
Per ter quinque pedes deſcendat corpus eodem
Tempore, quo vibrat ſe pulſu arteria tantum
Simplice, nimirum decies pars ſena quod extet
Partis item decies quoque ſenæ ſimplicis horæ;
Multorum ut vario tandem tentamine conſtat.
  Corpora præterea, quæ deorſum pondere aguntur,
Uſque ſuos magis atque magis celerare neceſſe eſt
Caſus, propterea, quoniam nova deprimit uſque
Cæli materies, atque ictibus adjicit ictus.
Nec vero incerta celerant ratione cadendo:
Pro quovis etenim momento temporis æquo
Labentis creſcit fuga corporis incremento:
Deſcendat primo ſpatium ſi namque pedale,
Duplo jam citius corpus tripedale ſecundo
Tempore decurret; peraget poſt quinque ruendo,
Poſt ſeptem ſpatia: imparibus decurſa notatum eſt
Creſcere ſic numeris loca; ſic decreſcere contra,
Si ſurſum emittas grave pondus in aëra jactum;
Decreſcit quoniam pariter fuga. Certaque conſtat
Præterea hæc ratio, ſi per declive feratur,
Atque inclinato volvatur in aſſere pondus.
Haud tamen immenſis ita quovis tempore poſſet
Augeri ſpatiis deorſum fuga corporis: æque
Ad celerem tandem lapſum fateare reduci
Namque opus eſt; ſiquidem novus ictus materiaï
Addi non poterit tanta in properante ruina:
Ut neque te a tergo poterit propellere quiſquam

Pone ſequens curſu fugientem ſcilicet æquo.
Contemplator item, quia deprimit omnia deorſum
Vis ea, qua partes nituntur abire rotundæ,
Et quia libratis nituntur viribus æque
Undique, libratis pariter premere undique debent
Viribus hanc Terræ molem, quæ proinde rotunda eſt.
Noſcere ut hinc poſſis mirum non eſſe, quod illi,
Quos retro in terra ſcimus requieſcere pôſta,
Recidere e Terris non poſſint in loca Cæli
Inferiora; velut neque poſſunt corpora noſtra
Hæc ſupera e Terris in Cæli templa volare.
Corporibus, gelidas quæ ſunt delata polorum
Ad partes plus, quam terrarum ubicumque, videmus
Ponderis acquiri: mage quo removentur ab illis
Aſt avecta eadem regionibus; uſque minuto
Pondere decreſcit Gravitas, levioraque fiunt,
In media donec tandem tellure locentur,
Qua minimum rebus ſervatum eſt pondus ineſſe.
Atque id ea tantum potuit ratione notari;
Pendula nimirum cum ferri virga rigentis
Huc illuc commota ſemel vibratur, eoſdem
Tardius hic itus peragi rediтuſque videmus,
Extremum quam ſi terræ vibretur ad axem;
At citius contra, quam terræ partibus illis,
Queis ſecat Æquator mediam; quapropter oportet
Iſtic, motus ubi virgæ lentiſſimus extat,
Vi minima urgeri Gravitatis corpora deorſum:
Ejus utroque polo, quo virga citiſſima ferri
It redit icta ſemel, contra vis maxima conſtat.
Hujus nec ratio eſt impervia differitatis,
Omnis quæ a motu mihi nempe petenda videtur,
Quo Terram proprio volvi ſuper axe probatum eſt.
Proinde quidem immoti quæ corpora finibus axis
Sunt propiora, minus celeri correpta rotatu,
Quam media quæ ſunt terræ in regione, feruntur.
Qui quoniam oppoſitus Gravitati eſt motus (ut illo
Converſa e medio Terraï corpora longe

Turbine nituntur discedere), detrahit illi
Plus, ubi major inest, minus, ille ubi lentior extat,
Nempe polum prope utrumq; minus, plus partibus illis,
Quæ spatiis distant æquis ab utroque polorum.
His, opus est igitur, decrescant pondera rerum,
Et Gravitas deorsum minus urgeat, auctaque contra
Vi majore premat gemina in regione polorum.
Propterea multis Terra hinc compressa videtur,
Altior in medio, tumefactaque surgere paulum.
Jam quoniam quævis ejusdem corpora molis,
Si solida haud æque constent, non prædita eodem
Pondere sunt; sed, quod solidum mage, pendere debet
Plus aliis, queis sunt plura intervalla viæque
Majores: poterit tibi ab hac ratione patere,
Cur quædam summas fluitent non mersa per undas;
At deorsum sub aquas contra cur multa ferantur,
Considant fundo labentia donec in imo.
Nam quæ condenso sunt corpora conciliatu
Texta magis, quam corpus aquæ, fateare necesse est,
Illa cadant sub aquas immersa: at corpora contra,
Sunt unda quæ rara magis levioraque, quam par
Auctus aquæ, extabunt lymphas super, inque natabunt,
Partem nimirum non undis obruta tantam,
Quanto illis constant leviora: at denique, si quod
Tantundem corpus, par quantum pendit aquaï
Moles, illud aquis non partes exeret ullas,
Nec fundum contra per se volvetur in imum;
Sed regione loci hærebit quacumque liquentis:
Nunc tibi perfacile est ex his cognoscere causam,
Qua muti possint se a fundo tollere Pisces,
Atque iterum in fundum superis se immergere ab undis,
Aut media regione liquentum nare viarum.
Nimirum æquali si constent pondere Piscis
Undaque, squammigerum quæ exæquat mole animantem,
Tum quacumque loci media regione vel ima
Vel summa adstiterit, non sursum infraque valebit
Ire, sed in liquido Piscis procedere cursu

Tan-

Tantum erit ut possit: quod si quæ causa deorsum
Mergier impellat, seu subter visa profundis
Præda sit in latebris, seu Bellua desuper ingens
Terruit; inclusam vesica comprimet auram,
Et sic mole minor fiet, graviorque minori
Pro mole, insit idem cum pondus ut ante, parique
Proin tum fiet aqua gravior quoque: decidet ergo
Hac gravitate sui fundum submersus in imum.
At si quæ veniat supera se efferre libido,
Protinus illam ipsam dilatat & explicat auram
Efficiens, solito majus fit corporis augmen,
Propterea que uuda levius; quapropter oportet
Se sursum attollat: tum summis oscula lymphis
Sæpe dat, & varios ludentum more per auras
Contiguas saltus; festas quoque inire choreas
Turba cum magna pariter ludente videtur.
His animadversis illud quoque noscere debes,
Nimirum sub aquis gravium cur pondera rerum
Decrescant adeo, ut facili vel magna moveri
Saxa labore queant; quæ porro educta sub auras
Taurorum juga lassarent, atque Agricolarum
Contererent magnas immani pondere vires.
Sic etiam parvo sustollitur anchora nisu
Obruta aquis; sed ubi jam proxima pendet in auris
Aëris, obsistit nimio tum pondere, magno
In proram gemitu inducentibus atque labore.
Et tibi jam reji certum proponere pergo
Exemplar: geminis in libræ lancibus hinc atque
Hinc paria imponas si pondera, quodlibet horum
Nil tum pendere contra aliud videatur, oportet;
Omni privatum penitus sed pondere parva
Nisus vi poterit sursum deorsumque moveri;
Quandoquidem inter se tum mutua sustentantur
Corpora, dum constant æque librata; sed illa
Si non conveniant in pondere, non majoris
Pondus erit tantum, quantum gravitatis haberet
Lancem extra: partem siquidem ejus ponderis æquam

Su-

Suſtinet alterius vis corporis: ergo neceſſe eſt,
Pendat parte ſui dumtaxat ponderis illa,
Corporis alterius ſuperat qua pondus. Et iſto
Nonne vides pacto gravibus vel pondera prorſum
Tolli a corporibus, minui vel poſſe? ſed ad rem,
Quam nunc quærimus, hanc rationem transfer, eoque
Percipe rem pacto. Nimirum detrahe tantum
Ponderis a ſaxo, liquidis quod in æquoris undis
Merſum eſt, par gravitatis habet quantum auctus aquaï,
Cum qua non æquis libratum eſt viribus illud:
Pars lapidi gravitatis erit tunc illa ſuperſtes,
Parte parem qua vincit aquam: quapropter oportet,
Pondera cæruleis rerum minuantur in undis.
Si libet, hinc poteris, gravitas quæ certa liquorum,
Scrutari: ſi namque pilo ſuſpendis equino
Auri aut argenti pondo, atque immergis in undas,
Ponderis amiſſi ratio tibi denotat undæ
(Sed quæ mole pari eſt) gravitatem: ita nempe valebis
Securos fontem illimem cognoſcere in hauſtus,
Purus qui ante alios longeque leviſſimus extet.
Tum quoque conſimili ſolidarum pondera rerum
Deprendi ratione queunt: tamen ante neceſſe eſt
Hoc teneas, ſolidi quod major corporis auctus
Majorem amittat partem gravitatis in undis,
Suſtentatur enim majori a mole liquoris.
Quapropter, geminum ſi corpus ponderis æqui,
Non æquæ ſed molis, in undas mergere tentes,
Argentum velut atque aurum, plus ponderis illud,
Eſt opus, amittat, minus hoc; quia ſcilicet illi
Major ineſt moles, minor auro: proinde fatendum eſt,
Quod tantum argenti gravitas vincatur ab auro,
Amiſſum liquidis illius pondus in undis
Id quantum exſuperat, quod in iſdem perdidit aurum.
Sic opus ex auro fictum explorare queamus,
Nempe inſinceri ſubſit tum ſiqua metalli.
Suſpicio; ut Siculi Regis vulgata Corona eſt,
Cum Vir ob inventum tam magnum balnea linquens
Extra

Extra prosiluit subito, nudusque cucurrit
Exultans veluti lymphaticus, atque potenti
Percussus mentem thyrso; tam mira reperto
Scilicet a Vero venerunt gaudia menti.
Est etiam, ut possint extra undas pondera rerum
Imminui, & facili quovis ratione moveri,
Findier, adduci, præcelsa in culmina tolli:
Multimodis fieri quod sæpe videmus; at uno
Vectis ab exemplo brevibus rem percipe dictis.
Prælongi partem lapidi suppone movendo
Extremam ferri, quod fulcrum immobile propter
Sustineat: dextra tum extremos deprime partis
Alterius fines, quæ longe excurrat in auras
Protensa a fulcro, atque innixus desuper urge
In terram: si tum (quia partes dividit hastam
In non æquales fulcrum) pars longior hastæ
Subjectam lapidi plus partem excedat, ab ipsa
Quam lapidis gravitate manus vis atque potestas
Exsuperatur; erit momentum fortius ista
Parte, premens quam dextra urget; lapidemque moveri
Proinde gravem quamvis & vasta mole videbis.
Et quo est longa magis, quæ pars procurrit in auras,
Hoc saxum leviore potes convertere nisu.
Hac etiam montes hac Terram posse moveri
Arte putes, extra si Terram immobile punctum
Sit, quod sustentet Vectem ex adamante rigenti
Tantis protensam spatiis, vis addita dextræ
Ut queat ex illa momentum reddere parte
Majus, & oppositam Terraï vincere molem.
Sæpe Syracusium dicentem talia Cives
Audivere Senem. Vulgus risisset; at ejus
Jam miranda fidem faciebant multa reperta.
Tympana sunt etiam Cunei Trochleæque movenda
Viribus haud magnis inventæ ad pondera rerum,
Cætera item, mihi quæ properanti prætereundum est.
Nunc age, præter eam, quam dico, materiaï
Vim, quæ Tellurem circum versatur in orbem,

Unde tibi exoritur Gravitas, & Pondera rerum
Exoriuntur, uti docui, jam percipe porro
Quod ſupereſt, aliud quoque Terræ corpora circum
Materiæ genus eſſe, polo quæ tranſit ab uno
Cardinis oppoſitam in regionem, atque eſſe retortas
Hujus particulas: ut ab his cognoſcere poſſis
Naturam Lapidis, quem nos Magneta vocamus;
Scilicet unde habeat, grave ferrum ut ducere poſſit,
Poſſit ſe gelidam convertere ſemper ad Urſam,
Et tactum miræ chalybem vis participare:
Proin paulum haud longis ambagibus eſt abeundum.
Quare particulas, ut diximus ante, ſtriatas
Cardine ab alterutro Terræ tranſire polorum
Cardinem ad oppoſitum recta regione rearis,
Circuituque polos introire, exire perenni,
Sub terraque meare, extraque meare per auras.
Cumque ingreſſa polum terræ intra viſcera fertur
Materies, motu facili meat: invenit intus
Nam ſibi pervia multa foramina: Tranſmeat ergo,
Qua via facta patet; ſed cum de cardine terræ
Egreſſa eſt, ſuperas vel aquas tranſire vel auras
Luctatur magno niſu: neque enim invenit illic,
Pervia quæ pateant moli intervalla retortæ:
Quare vi ſibi ſcindat iter rumpatque, neceſſe eſt.
Hæc ubi conſtiterint bene confirmata, videbis,
Magnes cur certa ſemper ſe parte nivalem
Ad Boream vertat: nam, cum tellure lateret
Conditus, illum intra ſibi corpora particularum
Ingreſſu egreſſuque vias egere patentes.
Tenuibus utque pilis Magnes fuit obſitus intus,
Erectique viis ſurgebant undique rami,
Vis ea materiæ celeri tranſmiſſa meatu
Flexit in obliquum ramoſque piloſque, meanti
Ut nihil obſtaret: quapropter ubi erutus ima
Hic Lapis e terra eſt, ſuperis ſi pendeat auris
E tenui filo, per crebra foramina ſeſe
Intro particulæ ſubtiliter inſinuabunt;

Per-

Pervia quandoquidem moli intervalla retortæ
Inveniunt, quo confugiant ex aëris auris,
In quibus ingenti luctamine progrediendum est.
Quoque iter est ipsis directum, protinus illuc
Convertent Lapidem: cumque ipsæ cardine ab uno
Oppositam in terræ regionem progrediantur,
Altera Magnetis Boream pars, altera contra
Respiciet conversa Austrum. Res mira profecto,
Quæque diu latuit: quanquam, si vera feruntur,
Hæc fuit extremos Asiæ inter cognita Sinas
Jamdudum, ut magnam daret illis utilitatem;
Scilicet ut medio reperire ex æquore possent
Austrique Boreæque plagas: hunc denique nostris
Prima dedit Nautis usum Magnetis Amalphis.
Major ob hoc ollis tum deinde audacia crevit
Intactas maris ire vias, spretisque procellis
Metiri Oceanum cursu, atque inquirere terras
Per mare classe novas, Orbemque ambire carinis.
Porro cum sese Lapidis per aperta viarum
Tam facile insinuent, vixque ire per aëra possint
Particulæ, circa Magnetem in vorticis æstus
Se ferre incipient egressæ regrediendo.
Quod magis ut pateat, ferri scobs desuper ipsum
Sparsa tegat Lapidem, partique involvat ab omni:
Tum projecta licet temere hæc qua tollet in hirtos
Sese sponte pilos, qua circumflectet eosdem,
Disposita in formam nimirum vorticis ejus,
Quem faciunt circum peragrantis materiaï
Particulæ: prorsus quo Terræ corpora pacto
Circumeunt illæ redeundo a cardine rursum
Cardinem in oppositum, superaque infraque meando.
Quare si gemini prope sint, nec mutua sese
Contingant genus hoc Lapides, ut scilicet alter
Obvertat partem, qua corpora materiaï
Introeunt, latus id, datur unde his exitus, alter;
E latere hoc Lapidis transibunt illa recepta
In latus appositi; medium simul aëra plagis

Discutient, illos inter qui est cumque locatus.
Fiet continuo, cum factus rarior aër
In medio sit, uti ex transverso postque locatus
Atque hinc atque illinc quasi provehat, atque propellat
Inter se Lapides, & prorsus mutua jungat
Connexos arcte: tunc ambiet unus utrumque
Materiæ vortex recta per utrumque meantis.
Fit porro Lapis a Lapide ut plerumque recedat,
Conjungique neget pariter, pulsusque vicissim
Appositum pellat: discordia tanta creatur
Propterea, quia nimirum, cum mutua sese
Respiciunt illis a partibus, egrediuntur
Per quas particulæ Lapide ex utroque retortæ,
Inter se nequeunt confundere vorticis æstus:
Opposito inter se verum egredientia motu
Atque hinc atque illinc corpuscula percita, debent
Respuere appositos Lapides, pulsareque fluctu
Turbinis, & plagis longe removere repulsos.
Porro quo pacto Magnesia participet vis
De sese chalybem, non longo carmine dicam.
Haud secus ac Magnes, validi sic frigida ferri
Est pertusa foraminibus natura viisque,
Intus quæ multa lanugine tenuibus atque
Consitæ inhorrescunt directis undique ramis.
Quapropter simul ac ferrum prope contigit æstus,
Qui fluit a Saxo, sese illos protinus intra
Insinuat ramos atque intervalla pilorum
Illabens, facilemque viam sibi construit intus:
Namque means rectos cogit deflectere ramos,
Ventus ut inclinat violento flamine aristas.
Id quoque fit longo si ferrum tempore perstet
Auris expôstum liquidis, qua cardinem ad unum
Perpetuus se fert adverso e cardine fluctus.
Et quoniam fiunt sic intervalla viæque
In chalybe assimiles illis, queis pervius extat
Ipse Lapis Magnes, ideo fateare necesse est
Illud vim Lapidis debere acquirere ferrum,

Qua sese Scythicam Cynosuræ vertat ad Ursam.
Nonne vides, nigro si tacta est ferrea Saxo
Pyxide acus librata, ut scilicet irrequieta
Vertitur hac illac; donec se sistat ad illam,
Qua fulget Cynosura, plagam? Proin Navita fretus
Hac duce carpit iter dubiæ vel tempore noctis:
Scilicet illa polum nimbo & caligine nigra
Quamlibet obductum non nunquam ostendit in undis,
Ventorumque domos varias & sidera monstrat.
Attamen interdum paulum declinat ab Arcto
Eoas flectens in partes Occiduasve.
Quod fieri quonam possit, mirabere, pacto;
Cum directa means ex uno cardine terræ
Semper in oppositum, docui velut ante, feratur
Materies, Lapidem cursu quo dirigit illuc
Et ferrum, quod vim Magnetis participavit.
Propterea dico, torrentem sæpe retortæ
Illum materiæ cursu deflectere recto:
Namque, ubi sub terris se ferri multa coëgit
Copia, quæ facilem possit præbere meatum,
Debet eo properans divertere, quo via ducit,
Et quo tendit, acum rapere & deducere paulum.
Si Boreæ advenias gelidas nascentis ad oras,
Inclinare videbis acum in terramque revolvi
Lilia, propterea quia, cum se partibus illis
Materies demittat, uti sub viscera terræ
Illabatur, acum cursu quoque deprimit isto.
Denique, cur Lapidem ferri natura sequatur,
Et cæcis in eo compagibus hæreat arcte,
Percipe: cum chalybi Magneta quis admovet, ejus
Naturam & vires, ut paulo diximus ante,
Participare chalybs debet: nam materiaï
De Magnete fluunt quæ tenuia corpora, ferri
Possunt ire vias; medium quapropter oportet
Aera disjiciant; tergo qui proinde receptus
Exagitat plagis Lapidem ferrumque, locoque,
Unde abiit, medio jungi compellit utrumque.

Mutuus inde amor eſt, ut dicunt, ortus, & illa
Cum Lapide æterno ſunt ferri fœdera nexu.
Vim miram hanc Lapidis primum Armentarius olim,
Ut memorant, Magnes (Lapis eſt dehinc unde vocatus)
Detexit, patria Tauros dum paſceret Ida,
Forte canens teneros ſilveſtri in arundine amores
Hærentem clavis crepidarum ſenſit; & illa
Miratus Lapidis cum ferro fœdera, gaudent
Queis jungi inter ſe pariter, vim mutuam amoris
Protinus invidit, queſtuſque ſua impia fata eſt.
Proderit hanc ob rem Saxum Magnetis, ut ajunt,
Armare; & faciunt, puri cum lamina ferri
Hinc atque inde duplex Lapidis conjungitur illis
Partibus, ingreditur queis ſcilicet egrediturque
Fluvida materies, quæ Saxum tranſmeat illud.
Namque ea cum faciles multo magis, aëre quam ſint,
In ferro reperire vias queat, effluet hilum
Haud extra, ſed qua per longum extenditur illud,
Ibit: quapropter chalybis ſi fragmina duri
Applicet armanti quis ferro hinc inde, teneri
Vi majore queunt pendentia, junctaque ſubter
Firmius hæreſcunt: nam copia materiaï
Omnis, non circum aërias diſperſa per auras
Confluit a ferro, Magnes quo armatur utrinque,
Pendentem in chalybem, atque arctis compagibus uni
Copulat hunc Lapidi; majoraque pondera Magnes
Suſtinet, ac faceret, ſi ferro armante careret.
At cave, ne ferrum quod obarmat, quodve propinquo
A Magnete rapi ſurſum cupis atque teneri,
Exeſum ſcabra conſtet rubigine; claudit
Omnes namque vias rubigo, atque invia ferri
Intervalla facit: quapropter viribus expers
Eſſe Lapis, neque enim rapiet, videatur oportet;
Cum labes nigro in ferro vitiumque ſit omne.
Quod niſi percaveas, toties experta licet te
Fallet vis Lapidis, coramque rubeſcere coget
Illuſum Sociis, quos viſum hæc mira vocâſti.

Succina præterea sunt & pellucida multa
Corpora Gemmarum naturaque Vitrea, frictu
Quæ valido calefacta potest sibi jungere raptas,
Si prope sint, paleas & quæque levissima rerum:
Inter namque vias & cœca foramina multas
Vortice perpetuo fluere atque meare putemus
Particulas, quibus est iter auris indupeditum
Perplexæque viæ: quapropter ubi excitus extra
Egreditur fluctus, multas illapsus in auras
Aëris extemplo parat intra tecta reverti;
Proinde recurrenti, quidquid leve, turbine secum
Corripit, atque illo nexum cum corpore jungit.
Multa etiam sunt, quæ simili vi prædita constant,
Si caleant, ut Ebur Lapis Ossa & Marmora Conchæ
Et Corium & Cornu & flaventis fragmina Buxi:
Quoque magis retinent conceptos ista calores,
Hoc magis has servant diuturno tempore vires;
Queis, si sint etiam non trita & frigida quædam
(Ut Pix ut Sulphur naturaque Cerea) pollent,
Idque diu, cum sunt ab apertis aëris auris
Præsertim mollis defensa volumine lanæ.
Clara dies æstiva, boreaque flamina magnas
Intendunt vires, quæ bruma, humentibus auris,
Nocte remittuntur. Si par sit utrinque potestas,
Non vicina trahunt, sed sese bina repellunt
Corpora: cum validis igitur bene languida tantum
Conveniunt; quin hæc vires exinde receptant,
Omnia quæ sese facile in propiora propagant
Corpora, dura eadem, contraque fluentia constent,
Ut libet. Hinc Vitro a perfricto egressus in auras
De genere hoc fluctus per longum excurrere Funem,
Seque potest Ebori & Silici variisque Metallis,
Seque & Arundinibus Chartis teretique Bacillo
Omnibus & Lignis, lapsusque infundere Plantis,
Artubus & vivis Animantum; sæpe videntur
Qui trahere ad se res tenues, & fundere circum
Scintillas; nam cum quodam plerumque nitore
Lucis

Lucis vis ſeſe noſtris ea ſenſibus offert.
Ut tamen hæc facili coram ratione queamus
Perficere, uſus erit, claro quam carmine ſcribam,
Machina tam miris ut fiat idonea rebus.
Ante alia aptatur vitri globus, ut queat axe
Circumagi ſuper ipſe ſuo, & volvente revolvi
Uſque rota; propter bipedalis lamina ferri
Serum e cæruleis filis ſuſpenſa rigenti
E ferro pariter tubulos ſuſtentet hiantes
Utrinque, & vix non vitrum patulo ore rotundum
Tangentes, hoc majori qua volvitur orbe:
Scilicet egrediens ut ab illo materiaï
Torrens non vacuas circum effundatur in auras,
At per ſepta meet ferri cava, multipliceſque
In partem vires illapſus dirigat unam.
Ferrea præterea quoque magnum exinde catena
Longe extendatur producta per intervallum,
Ut vel dena quater ſtadia æquet; at undique ducta
Tenuibus e filis vacua dependeat aura,
Ne tangat prolapſa ſolum, neu pariete pondus
Applicet aut alia re quavis; omnia turbant.
His actis vitrum fac volvier, & manus illo
Deſuper incumbens ſubterlabente teratur,
Nec mora, lamellam tubulos longamque catenam
Irrigat extemplo vis mira atque imbuit omnem.
Si tum ergo admoveas digitum ferrumve, videbis
Quodam cum crepitu ſcintillas exilientes,
Scilicet in parvo ſimulantes ignea cæli
Fulmina, cum de nube ruunt elapſa tonante.
At ſi contingas, crepitantia fulgura ceſſant,
Non ſonus auditur, nullo manus intremit ictu,
Ut prius, exiguo tonitru cum mota tremebat.
At quibus ad vires magis hæc eſt apta ciendas
Natura, ut vitri ſunt corpora, cum prope longo
Accedunt chalybi, tenuis dat ſibila flamma
Continuo erumpens, & lenis proſilit ignis.
Prætereaque leves res exagitantur, ubi illis

Viribus accedant ferri, propiusque locentur,
Ut paleæ aut siccis pulvis de frondibus, auri
Aut folia aut plumæ, ducuntur in oscula raptæ,
Protinus & fugiunt celeri absceduntque repulsa,
Concussæque æstu vario saliuntque caduntque.
Adde quod acclini bombycum fila catena
Si demittantur tenui pendentia nodo,
In terram hæc recta non coget vergere pondus,
Sed paulum nova vis infusa attollet, & ipsi
Diriget, undanti constent ut recta catenæ:
Si tamen interea propiore ciebis ab illa
Scintillas digito, subito prolapsa redibunt
Pondere subjectam recta spectantia terram;
Nam tum mira fluens ab eis avertitur aura.
Tum quoque carbonum cum pulvere sulphura mixta,
Et Bacchi florem si latæ imponere ferri
Lamellæ tentes, digito das sulphura flammis
Protinus admoto per fulmina crebra per ictus,
Et Bacchi accendis, contactum ut lampade, florem.
His etiam interdum fecere pericula multi
In tenui vilique animantum corpore bruto;
Protinus exitium muscis fuit iste per illas
Scintillas; namque immotæ exanimesque cadebant,
Parvaque turbatis avis expirabat ocellis
Dilatans plumas, extendens tenuia crura.
Vis ea transit item per aquam, ut si flumine plenum
Dextra tenens cyathum propter versatile vitrum
Pendenti ferro aut æri supponat, & ejus
Immergat partem, manibus per mutua junctis
Longa se innectant Spectantes deinde chorea,
Nec mora, cum digitum accedens ferrumve quis illuc
Admovit, subito se tactum sentiet ictu
Quisque, manusque suas agitari & brachia dicet;
Non sine pernicie, grandi peragatur id ipsum
Si vitro; siquidem nimius cui scilicet ardor
Id fuit audendi, cælesti ut fulminis igne
Contactum cecidisse ferunt, ægreque labantem

Post

Poſt in ſe rediiſſe animam; tum protinus auſi
Pœnituiſſe ſui. Fors hinc haurire medelam
Eſt etiam, triſteſque e corpore pellere morbos:
Nam quibus obſtructi quadam de parte fuere
Nervi, & membrorum quoque eorum perditus uſus,
Aut quibus articuli podagra indoluere tenaci,
Admiſſi tum forte, noviſque in corpora fuſis
Viribus a vitro, facile & ſua membra plicabant
Illi immota prius, nitique repente receptis
Hi poterant pedibus tam triſti humore ſoluto
Neſcio qua ratione; ſed hæc magis excolet ætas
Altera, noſcet & his etiam ulteriora repertis.
Quid magis infeſtum, quam frigidus humor aquaï,
Ignibus? ex undis nihilo tamen hic minus ignis
Exilit, & gelidæ ſcintillant undique lymphæ.
Parvaque ſi fluitet ſuper undam cimba, propinquum
Inſequitur digitum, velut aëris incita flabris,
Et varios ſinuat flexus, quocumque jubetur;
Interea crepitus crebros ciet, & vomit ignes
Undique navalis velut in præludia belli.
Adde quod in tenebris tenui candentia luce
Corpora ſæpe videntur; ineſt queis mira poteſtas,
Ut cum materie, quæ tum de corpore migrat
In corpus, pariter migret lux & calor una.
Scilicet & vitrum volvens palmamque prementem
Imbuit illuſtrans ſplendor guttamque cadentem,
Ignea gutta cadens apparet & igneus humor,
Filaque lucentes difundunt ſerica tractus.
Præterea ſi crine ab equino cæruleiſque
Bombycum filis liquida quis pendeat aura,
Accedat porro capiti mirabile vitrum,
Protinus in vivos late vis funditur artus.
Sæpe pici inſiſtunt etiam, vel ſerica calcant
Texta Viri junctis pedibus, dextraque catenam
Protenſa retinent; ergo tum ferrea fruſta
Admoveat Comitum manus, extenſove propinquet
In frontem digito in nares oculoſve genaſve

Pectora collum humeros in brachia crura pedesve
Colludens, subito crepitantes excutiuntur
Scintillæ ex oculis ex fronte ex ore genisve,
Concussisve aliis ex artubus; exagitantur
Nam commoti artus, & eo quatiuntur ab ictu:
Mutuus impulsus fit utrinque, & percutit ipsam
Cum digito propiore manum. Super illius esser
Lancem auri argentive caput palmamve patentem,
Protinus incipiunt motari & fronte capilli.
Erecti insano Bacchantum ut vertice surgunt.
Vini succus abit conceptum & sulphur in ignem
Admoto digito, levia ad se corpora sursum
Qui tollit, subitoque eadem sublata repellit.
Bractea mota salit resilitque, & vortice rapta
Vertitur a celeri, concussaque tenuia quæque
Turbineo extemplo turbantur mota tumultu.
Si dextra eductum vagina porrigat ensem,
Mucronique orbis tum ferreus aut manus extra
Accedat, liquidas prorumpit flamma sub auras
Protinus, ut torrens, summoque ab acumine prodit
Latior, & celeri concinnat sibila motu:
Nempe ego ab experto vidi horum plurima nuper
Ante oculos tentata Viro, qui circuit urbes
Regnaque, & oppositum veritus non isse sub axem est,
Insuetis non ut monstret miracula vulgo
Lusibus a stulto corradens æra popello;
Occultasque suas jactet temerarius artes;
Verum ut Naturæ vires non invidus Orbi
Proferat, & doctas moveant spectacula mentes,
Quæque umbratilibus quoque sint accepta Lyceis,
Ostendat, rerum desideriumque novarum
Sopitis incendat, & ad tentamina ducat:
Vidi equidem, Vos & mecum vidistis, & una
Omnia mirantes lustrastis mente sagaci,
Cultor & Interpres Naturæ magnus uterque
LESEURI & JACQUIERI, antiqui o moris Amici.
Hic ego non memorem vestras, opera inclita, laudes;
Quan-

Quandoquidem quacumque patet non barbara tellus,
Et quacumque dies Doctrinæ ſplendidus ortus,
Nomina veſtra ſua decorum cum luce feruntur,
Æterniſque vigent monumentis inſita Famæ,
Atque ſuo inſcribens ſacravit Gloria templo.
Jam quoniam per vos licet eſſe, ut dicar Amicus
Veſter ego optârim pariter; decus inde ſequetur
Ingens & noſtris non deerit gloria Muſis.
Tum permulta etiam poſſem miranda referre,
Noſtra recens ætas quæ protulit experiendo
Hoc genus, inque dies vario tentamine profert,
Quæ penitus Veterum vel ſæclo ignota fuere,
Nunquam in Natura fieri vel credita poſſe.
Verum hac dicta tenus ſat erunt, ut nôſſe queamus
(Utile præ multis documen Mortalibus) illum
Inſanis propius nimirum accedere, noſtri
Menſuram ingenii magnis qui viribus aptat
Naturæ, & certo conſtrictam limite finit,
Quid queat aut nequeat, præſcribens, arbitrioque
Cuncta ſuo temere, haud contentus quærere, fingit,
Cum qui Naturam rerum in diſcrimina ducunt,
Quoſque diu varius ſolertes reddidit uſus,
Quo vertunt ſe cumque, nova undique & undique mira
Objiciantur, & humanæ quæ denique nunquam
Inciderint menti, niſi cum per ſomnia ludit.
Ergo in Natura ſpectatum admittimur ipſi,
Idque agere, ut taciti ſervemus ſingula, oportet,
Docta ſuas peragat Ratio tum denique partes.
Nimirum bene, ſi præeat Natura, ſequemur.
Quod ſupereſt, opus eſt etiam cognoſcere quædam,
Quæ de principiis ipſis manantia rerum
Afficiunt varie naturam corporis omnem.
Et primo calor eſt, ubi corporis exagitantur
Particulæ a primi correptæ motu Elementi,
Perceleri motu, quo quamque avellere tentat:
Hoc ſine non etenim poſſet calor ullus haberi;
Nec prorſus calida ulla foret res, quin cieantur

Ejus

Ejus particulæ; quæ cum majore cientur
Vi motus, fit, uti tanto calor auctior extet:
Illo sed contra languescente inque minuto
Elanguescere item tuimur minuique calorem.
Hac modo perfacile est ratione exsolvere nobis,
Quare perceleri interdum rota concita cursu
Concipiat flammas, medio qua jungitur axi.
Namque opus est, ut, cum revoluta manente teratur
Axe rota interior, vehemens oriatur in ejus
Particulis motus: motu fit protinus ignis;
Flammaque degustat lambens axemque rotamque;
Ipsum etiam arripiat currum Aurigamque, refusis
Ni pereat lymphis ingestave obruta terra.
Et ne forte putes, caleant ut corpora, motu
Particulas debere horum quocumque cieri:
Ille quidem tantum dabit, in rebusque calorem
Gignet, particulas perturbato ordine motus
Qui ciet, exagitatque in cunctas undique partes.
Propterea e tumidis cum pellimus aëra buccis
Expressum vi multa oris per tenue foramen;
Frigidus ille foras erumpet non aliam rem
Propter, quam recto quia motu concitus exit.
At perturbato cum motu ex ore patente
Mittitur, aura tibi tunc aëris illa calebit.
Illa nos gelidæ suemus per frigora brumæ
Calfacere extremos digitos palmasque rigentes;
Illa suemus item ceram mollire tenacem.
At quia non alio quimus dignoscere pacto
Res calidas, nostri nisi tactu corporis uno;
Si commotus erit plus nostro in corpore sanguis,
Unde calor nobis oritur, quam motæ Elemento
Particulæ a primo sint, quam contingimus, undæ;
Frigida tum nobis esse unda videbitur ipso
Contactu; quamvis illi natura caloris
Insit commotas ob partes: idque videtur
Propterea, calida unda minus quia corpore nostro est,
Mens alienigenas per quod res sentit: at illa

Exa-

Exagitata magis si sit, quam corpore sanguis
In nostro, calidam sensu fateare, necesse est.
Hinc loca sub terris effossa æstate videntur
Frigidiora, hiemis quam sint per tempora canæ:
Illis quandoquidem mage nos æstate calemus;
At mage per brumam contra frigemus opertis;
Quamvis revera caleant magis illa per æstum,
Frigidioraque sint tristis per frigora brumæ;
Tempore nam tali lymphas persæpe repostas
Constringit glacies; æstatis tempore nunquam
Quod sumus experti; quamvis illa usque profunda
Sint loca, ut efficiant frigentes contremere artus.
Plerumque hic motus, calor unde est, particularum
Res liquidas dilatat, & efficit, ut majori
Se spatio extendant: quoniam cum pigra quies est
Corporibus, pars una aliam plus tangit inhærens,
Quam cum perceleri pars motu quæque cietur.
Quare opus est, in majus uti sese explicet augmen
Corpus; ubi privas in partes insinuatus
Ejus corripuit rapido quamque impete motus.
Hinc quanta æstivi calor aëris augmina sumat,
Decrescatque hieme ac ventis brumalibus idem,
Agnosces; vitrea, collum quæ porrigit arctum,
Si Bacchi tentes ampulla claudere florem:
Nam gracile ascendat si tum liquor altius intus
Per collum, tali dabit aucti signa caloris
Tempore: quandoquidem major vis illa caloris
Dilatans vinum superextulit: assimilique
Agnosces pacto, vini quo tempore florem
Ampullæ longo cernes descendere collo,
Tempore eo decrescere vim minuique caloris.
Nec non & solida quæ sunt constantia mole
Plurima, uti duri lapides & quæque metalla
Vitraque distendunt augmen se in majus, ubi ictus
Solis ad æstivi perstant, flammisve calescunt;
Ferrea propterea paulum producitur igne
Virga; eadem, cum frigida sit, contractior exit.

Nam contra oppoſita frigus ratione coarctat
Multas res: quid enim eſt frigus, niſi particularum
Pigra quies, perturbatis ſeu motibus obſtans
Motus? quapropter glacies eſt frigida, itemque
Frigida marmora ſunt, quoniam non intus aguntur
Particulæ a primi correptæ motu Elementi.
Prætereaque etiam ſunt frigida flabra Aquilonum,
Pigra licet non ſint eadem atque expertia motus;
Impete præcipiti ſed terras & mare perflent,
Atque avulſa ruant multa vi rupibus altis
Robora, & aërio jactent cita nubila cælo.
Mam quæ Sithoniis e partibus exoriuntur
Flamina ventorum, motus ratione feruntur
Non perturbati, calidus quo ſcilicet Auſter,
At fera directo deſcendunt impete contra:
Qui perturbatis motus cum motibus obſtet,
Frigidus idcirco venit Urſæ a cardine ventus,
Qui fugat Agricolas armentorumque Magiſtros
Exoriens, hiememque refert, atque enecat herbas.
Præterea conſtringit aquas, calcandaque ſternit
Flumina; quandoquidem ſeſe inſinuantia nitri
Corpora vi multa defert, quæ fixa liquentes
Inter particulas religant, motumque fluentum
Siſtunt undarum; glacies ut dura geluque
Fiat, & immoto nectantur frigore lymphæ.
Forſitan inquires, quare glaciatus in auctum
Majorem concreſcat aquæ liquor, ærea ſæpe
Poſſit uti clauſus diſrumpere vaſa, ſuperque
Extet jam levior, motis atque innatet undis.
Scilicet hæc ratio tibi conſtet vera, plicantes
Quod ſeſe omnimodis ſe formam prorſus in omnem
Particulæ undarum poſſint inflectere, & omne
Flexu intervallum vario replere locumque.
Intus cum vero penetrantia corpora nitri
Suſcepere, fluenſque gelu jam ſiſtitur unda;
Inter proinde ſuas multa intervalla receptet
Particulas, & ſe ſpatium dilatet in amplum,

Et molem ſubito majorem acquirat, oportet.
Propterea teneræ rumpuntur frigore plantæ;
Intus enim in glaciem ſuccus dureſcit, & amplam
In molem ſubito diſtenſus vincula rumpit.
Horrida quin etiam præduræ marmora rupis
Finduntur perſæpe gelu, quo ſtringitur unda
Occultis illapſa viis in viſcera cautis.
Humida proporro ſunt corpora, flexilibus quæ
Conſtant particulis oblongis mobilibuſque,
Ut facili poſſint in crebra foramina rerum
Inſinuarier ingreſſu, madefactaque reddant,
Quæcumque humentis naturæ corpore tangunt;
Res velut humectat tactu liquor almus aquarum.
Mollia quod ſi harum primordia particularum
Tenuibus inter ſe perplexaque perque plicata
Tangantur ramis, nexu magis uſque tenaci
Hærebunt: ſubito ut non poſſint effluere extra,
Effluere ut poſſunt undæ vinique liquores.
Viſcoſi, genus hoc, olei natura videtur
Eſſe, fluit celeri quod multo tardius unda.
Eſt ratio haud ſimplex, poſſis qua noſcere, quantum
Humidus augeſcat ſtatus aëris omnibus horis,
Decreſcatque; facit quem ſic variare vaporum
Halitus ex undis liquidas ſublatus in auras.
Indicium feſtuca dabit ſilveſtris avenæ,
Lignoſas effert, ut tenuia cornua, fibras
Vertice quæ ſummo: nam, cum vapor aëris illas
Humectat, laxantur, & orbibus evolvuntur:
At facit ut redeant in ſpiras ſiccior aër.
Hoc etiam organico poteris deprendere nervo,
Extremos cujus fines hinc inde duobus
Firmandum eſt clavis: medio at ſuſpendere pondus,
Quod queat inflexum trahere & diſtendere, debes;
Namque, ea cum nervi conſtet natura, ſereno
Ut cælo, ſiccis atque extendatur in auris
Longior, humenti contractior aëre fiat,
Deſcendit ſiccis auris cæloque ſereno

Pon-

Pondus, at humenti contra ſalit aëre ſurſum:
Indicat id multos auris volitare vapores:
Nam tunc, ut cunei, ſe tortis inſinuabunt
Horum particulæ fibris, ut debeat inde
Tum retrahi nervus, mediúmque attollere pondus.
Propterea ingenti ſuſpenſæ pondere moles
Funibus, & vacuo pendentes aëre poſſunt
Suſtolli paulum conſperſa fluminis unda.
Nec non & ſaxum de monte molare parantes
Dividere, excidunt circum ducuntque canalem,
Quo ligna, ut cuneos, adigant vi: deinde frequenti
Humectant lympha, quæ lignea texta penetrans
Dilatat paulatim, & ſaxa obſtantia findit.
  Hæc autem liquido quæ corpore fluvida conſtant,
Non tantum oblongis & lævibus exiguiſque
Debent principiis conſiſtere particularum,
Ætheriæ verum quoque motu materiaï
(Hanc conſtare putes e primis atque ſecundis
Inter ſe mixtis Elementis) exagitari,
Scilicet in proclive volubilis ut procurſus
Sic valeat fieri: lymphæ ſed deſinit humor
Eſſe fluens, ſeſe in glaciem cum vertit inertem;
Propterea quia tum non amplius exagitantur
Particulæ a motu ſubtilis materiaï.
  Præterea ad ſpeciem nulla ratione vel arte
Preſſus denſatur liquor; ut ſi clauſa ſub auro
Argentove ſit unda cavo, tum pondere magno
Impoſito videas durum ſudare metallum
Rore prius tenui per parva foramina lapſo,
Intus quam ſpatium ſeſe in minus illa coarctet.
Nec mirum, quoniam partes ſe flectere poſſunt
Undique, qua locus eſt, vixque ullum proinde relinquunt
Inter ſe ſpatium, niſi qua pervadere poſſit
Æther, quem non eſt excludere viribus ullis.
Poſſumus hinc varios vario de corpore ſuccos
Exprimere, & medicos alioſque educere in uſus.
Tantundem in ſeſe nam ſi liquor ipſe recedat

In-

Introrsum, quantum se pressum extrinsecus arctat
Corpus, non ullas ullo de corpore guttas
Viribus a magnis unquam stillare videres,
Nec succo digitos contingeret herba prementes,
Nec tibi calcata Bacchi liquor iret ab uva.
Duraque præterea quæ sunt, ut robora ferri
Ut validi silices ut saxa adamantina constant,
Debent immotis & se tangentibus esse
Prædita particulis, subtilique æthere & auris
Omni a parte premi, atque arcte conjuncta teneri.
Vis circumpositis nimirum magna premendi
Est auris, ut pressæ a sese mutua partes
Avelli nequeant, velut una glutine nexæ.
Utque tibi aurarum magnas exponere vires
Ante oculos possim, tali rem percipe pacto.
Lævia si jungas duo corpora lata, sit inter
Ut prope nil spatii, quo confluat aura, relictum,
Tum conjuncta simul concursu ea corpora tali
Dividere hinc illinc si tentes disque gregare,
Irritus aut labor omnis erit, vix denique magnis
Aut tum dissilient conatibus atque Virûm vi
Multiplici oppositis divulsa a partibus a se.
Sic circumpositus validis compagibus aër,
Undique dum premit, in contactu corpora jungit.
Consimile est, faciunt quod multi, ostendere vires
Aëris exemplis rerum dum pluribus optant.
Ferri namque globum scindunt in bina cavatum,
Dimidiæ ferri parti tum deinde rotundi
Dimidiam jungunt, at nullo glutine, partem;
Aëra sed media tantum e regione pilaï
Educunt illa, qua post ratione docebo.
Nam geminas partes ita vis extrinsecus auræ
Comprimit, atque arcta compagine copulat una,
Octo ut jungere equos dehinc experiantur, utraque
Hinc illinc qui parte trahant, tendantque retortos
Certatim funes cursum in diversa parando,
Illo ut conjunctas divellant impete partes.

Ter quater intendunt vires, & corpore forti
Conatus edunt validos, pedibusque repellunt
Tellurem; retinent sed tergo stupea lora,
Terque quaterque refrænati sistuntur ibidem.
Vix tandem valido vincunt conamine, partesque
Inter se nexas disjungunt, vique relaxant.
Usque adeo exterior junctas res comprimit aura.
Unde quidem fluidus vi tanta polleat aër,
Posterius referam; satis est modo scire probatum
Duritiem rerum repeti quoque ab aëris auris.
Non tamen aëriis ut non sint dura sine auris
Corpora: namque etiam dixi tibi ab æthere partes
Urgeri circumque premi immotasque teneri.
Motu nempe sua pars e statione recedit,
Ad latus ut nequeat tum parti hærere propinquæ.
Ergo quies retinet junctas semel, & facit, illum
Ut servent, vel sola, statum, pugnentque repelli;
Materiæ quoniam est omni vis insita quædam,
Qua semel extiterit ratione, ut perstet eadem,
Victa nisi externis causis, ut diximus ante.
In punctis & quo tanguntur pluribus aptæ
Inter se partes, hoc corpus durius extat,
Ut validos ictus penitus contemnere possit.

Cur vero in magnis corpus mollescere flammis
Prædurum queat, & liquefactum fundier aurum,
Duritiem frigens nativam deinde receptet,
Accipe; nimirum liquidum fit ab igne, quod ejus
Exagitet partes ignis, quæ protinus actæ
Æthera sese intra subtilis materiaï
Admittunt, neque compactæ immotæque tenentur.
Mox iterum frigus connectit ab igne solutas
Ætheris expellens extra vim, duritiemque
Partibus amissam reddit, religatque liquentes.

Postremo fluido quæ constant corpore, sæpe
Sunt pellucida multa; quod est genus unda vel aër.
Undique subtilis quoniam vis materiaï,
Inter particulas dum transit multa liquentes,

Rectum

Rectum ſcindit iter, rectoque dat ire meatu
Propterea lucem, quæ dum tranſmittit, ab omni
Parte patens corpus debet clarumque videri.
At quæ dura, ſed & pariter pellucida conſtant,
Ut vitrum ut glacies adamaſque aliique nitores
Gemmarum, debent eadem intervalla viaſque
Atque ſitum ſervare ſuarum partium eundem,
Quem tenuere, prius quam dura rigeſcere demum
Cœpiſſent, dum mollia adhuc, velut unda, fluebant.
Corporis at contra natura videtur opaci,
Cum licet intra ſe claudat permulta viarum
Intervalla, tamen vel recta foramina non ſunt,
Interrupta locis vel pluribus atque reflexa;
Ut facili nequeat lumen tranſire meatu;
Mille repercuſſum variis ſed flexibus intra
Infringat vires, diſtractum diſpereatque.
Denique corpora corporibus diſtare videntur
Non ratione alia, quam quod, communia quæ ſunt,
Semina materiæ variis congreſſibus aptant
Seſe in concilio, ut rerum variantia poſſint
Edere multiplici formæ ratione coorta.
Nempe, infinitas quoniam variare figuras
Prima queunt Elementa modis diſtantia multis,
Atque uno formis in corpore permutari
Innumerabilibus poſſunt, & quiſque dat ordo
Formaï propriam ſpeciem; manifeſta fateri
Te cogit ratio res hinc differre, ſuaſque
Corpora ſortiri ſpecies certaſque figuras.
Hinc ſilices Tellus gemmaſque habet atque metalla
Tam variis inter ſe formis, omnigeniſque
Conſerit arboribus nemora undique, & educat herbas.
Plurima quid terra gradientia dicam Animantum
Corpora, quid per humum longas volventia ſpiras,
Diverſam inter ſe naturam nomina vires
Sortita & mores & vitam denique & auctum?
Quid genus Alituum memorem, quicumque vel auris
Aſſueti prædam ſectari & vivere rapto,

Vel vitam inſontem varie qui corpora picti
Per dumos agitant umbras vel per nemorales?
Demum evolvere quis liquidi jam regna Profundi
Evaleat, pecudum ſæcla omnia commemorando,
Quotquot aquas ſcindunt, ſcopulis & quotquot inhærent?
Uſque adeo eſt variis repletum animantibus æquor.
Et tamen, ut ſupra retuli, quodcumque creatur
Æquoris aut undis, terraſve vel aëris auras
Concelebrat, re non alia differre putandum eſt,
Quam forma motu concurſu principiorum,
Quorum abitu atque aditu naturam corpora mutant.
  Proptereaque locis non omnibus enaſcuntur
Omnia: diſponi quoniam non omnibus omnes
In formas res poſſe locis Natura creatrix
Conceſſit. Nequeunt ſilveſtria ſæcla ferarum,
Urſique Tigreſque atque iracunda Leonum
Vis gigni æquoreis ſub fluctibus, atque liquentes
Ire vias; poſſunt ut Rhombi cæruleique
Delphines Mugileſque natantum & cætera turba.
Contra Caucaſeis num montibus aut Riphæis
Aut aliis unquam extimuit quis monſtra, profundi
Quæ ſalis æquor habet? certis Natura locavit
Scilicet omnia, uti vigeant, ſeſeque propagent,
Sedibus: ætherias herbæ ſe tollere in auras
A tellure queunt floreſque arbuſtaque læta;
Abdita ſed contra tellure metalla ſub ima
Conduntur, plumbum grave nimirum æraque ferrumque
Aurum atque argentum; quoniam ſolidiſſima multo
Pondere ſunt, nequeant ut proinde attollier ima
Altius a terra: ſed nos præſtante labore
Eruimus, vique in ſuperas educimus auras
Quærentes in eis quoque dulcis commoda vitæ.
  Commoda multa quidem plumbi ferrique poteſtas,
Et ſimul argenti pondus ſimul æris & auri
Attulit: his partim ſilvas nam poſſumus altas
Cædere, materiem lævare, & radere tigna,
Perque forare, ſolumque etiam proſcindere terræ;
Partim ex argento ſimulacra nitentia Divûm Po-

Ponimus, ornamusque auri fulgoribus aras.
Quamvis ista tamen dent vitæ præmia dulcis,
Ima condita adhuc melius tellure jacerent.
Nam neque nunc ullus gladii foret usus & æris
Incurvi, ferimus queis mutua vulnera nosmet
Inter; & armorum perstringens lumina fulgor,
Et crepitus tonitru simulans cæleste tuborum
Abforet: immani quod nunc mortalia sæcla
Exitio minuit belli tentantia fluctus.
Aëra culpamus, si quando mortifer æstus
Ingruit, & morbis funestas reddidit urbes,
Oppidaque exhausit vastata agrosque colonis.
At quando una dies, pro Divûm Numina Sancta!
Vi morbi, cæli vitio tot millia quando
Una dies dedit exitio, quot, cum fera miscent
Prælia, & adversis concurrunt frontibus hostes?
At quantæ, Superi! mortalia pectora curæ
Conscindunt, ex quo est auri argentique repertus
Usus, & ex illis conflata pecunia, parta
Qua possint Homines pacatam degere vitam
Nequidquam; quoniam cum nummis orta videtur
Pestis avarities animorum, ortique timores:
Scilicet Eoam ne puppis naufraga mercem
Merset aquis; furum ne res sublata repente
Pauperet insidiis: argento auroque carere
Esse putant etenim summum extremumque malorum,
Nec nimium misera distare ab imagine lethi;
Proin vigilare magis nummos super, inque cubare
Assuescunt, nulli fidentes, suspiciosi.
Namque ut divitias certabant conduplicare
Per fas atque nefas, ipsi & præponere honesto,
Sic Homines alios rentur quoque quærere tantum,
Ut fiant dites, nec, qua ratione, morari.
Adde, quod hæc inter fortunæ munera sæpe
Ambitio exoritur, misere quæ tristibus omnem
Exercet curis vitam: namque esse putantes
Rem præ doctrina præ viribus ingenioque

Præ virtute etiam, præferrier omnibus ardent;
Nil opibus quoniam rentur sibi deesse paratis.
Finis propterea nummis est nulla parandis,
Et major desiderium succendit habendi
Copia. Pro miseros! quos hæc sitis arida torret,
Quæ super effuso magis usque accenditur auro.
Denique mortali dum vita tempore parvo
(Namque manet cita Mors omnes) conceditur utſ;
Vitam quærendis omnem consumere rebus,
Et multas animi magno cumulare labore
Divitias, quas ingratis tum deinde relinquent,
Nonne hoc desipere est? quanto se angore metuque
Discruciant animi, cum se subit esse creatos
Mortales, atque extremam properare citatos
Ad metam, quæ cuncta adimat tot denique vitæ
Commoda, pro! tanto dudum quæsita labore?
Nam neque divitiis capitur Mors, tardior annis
Ut saltem veniat seris; neque longior usquam
Vita tibi congesto argento venit & auro.
Præterea quæ sunt vitaï commoda demum
Nata ex divitiis? nimirum vestibus uti
Magnificis, mensaque diu discumbere opima,
Textilibusque in picturis ostroque cubare.
Quid juvat at claræ in splendore incedere vestis?
Vestis an hunc clarum reverentur purpureaï
Fulgorem morbique truces ægrique timores
Curaque? sub Tyrio num somnus suavior ostro?
Somno humiles habitare casas & agrestia tecta
Plus libuit; nam vix seras tulit Hesperus umbras,
Illo correpti Agricolæ lucemque laboremque
Efflant per noctem, neque mentem somnia turbant.
Dulcius ipsi etiam dapibus satiantur inemtis,
Quam Reges, nunquam esse fames quos ulla coëgit;
Namque famem, ut placeant, epulas condire necesse est.
Denique divitiis sine magnis plurima possunt
Delicias etiam substernere: si tamen æqua
Sit mens in rebus, tranquilla ut tempora degat,

LIBER QUARTUS.


Xhauſto medii curſus jam Nauta labore,
Si triſtes fugiens ventos aut otia captans
Condat fortuita ſcopuli in ſtatione carinam,
Sæpe moras inter mentemque oculoſque revolvit
Tentata aſpectu relegens animoque pericla;
Quot tulerit nigro jactantes æquore ventos,
Quæ vada quas Syrtes quot iniquos fugerit æſtus.
Propterea memorem demulcent gaudia mentem,
Elapſumque malis tantis ſe cernere ſuave eſt.
Idem ubi ſed nudo ſcopuli ſtans vertice flexit
Mentem oculoſque viaï aliam, qua reſtat eundum,
In partem; quidquam neque ab illa parte videnti
Objectum eſt, niſi cælum atque illa patentia ponti
Æquora, proin ſubiit quoque, quantum in fluctibus illis
Reſtet adhuc luctandum, & quæ ſuperanda laborum;
Incipit aſpectu paulum langueſcere tali
Impigra vis animi, ſimul & tædere viarum
Longarum. Fac tum languenti effulgeat ingens
Spes animo lucri, redit in præcordia virtus
Protinus, & nigros audax contemnere fluctus,
Oblituſque ſui jam vitam culpat inertem.
Horum ego non aliter defunctus parte laborum
Jam curſu in medio mentem perſæpe reflecto
Reſpiciens, cura quæcumque exegimus acri;
Et me, neſcio quæ, perfundit grata voluptas,
Scilicet & noctes vigilatas eſſe dieſque
Exactos, quibus id ſtudio præſtante movebam,
Ut de natura rerum obſcuriſque repertis
Concinerem, quantum licet, aptis carmina verbis;
Jamque eluctatum veluti de ſyrtibus illis
Eſſe juvat: contra ſed cum reminiſcor earum
Quæ ſuperant, rerum, & quantum quoque reſtet agendum,

Et quam difficile obſcuras res carmine puro
Clarare; exoritur tum quædam ignavia menti,
Frigidus & corpor quoque & harum tædia rerum
Exoriuntur; uti Muſæi areſcere fontis
Ex Helicone fluens videatur vena, priuſquam
Reſpergi ſacro mea poſſint corda liquore.
At tua me Virtus, animo quæ ſæpe recurſat,
Docta Cohors, ſubito pertæſum exſuſcitat, & mî
Excitat ardorem, jam ſponte ut & otia damnem
Ipimger, & quemvis optem perferre laborem,
Verbaque in obſcuras res ſufficit, atque perennem
Deducit medio ex Helicone in carmina venam;
Ut tibi ſaltem aliqua poſſim ratione placere.
Quare age multarum, quæ reſtant, percipe rerum
Naturam & vires, & qua ratione gerantur
Plurima, quæ coram fieri quoque cernimus ipſi
Perſæpe, & prima Naturæ in fronte locantur.
Hoc genus eſt Unda atque Aër & mobilis Ignis
Cæteraque, ex illis quæ pendent, conque ſequuntur.
Scilicet hæc rebus magis omnibus utilitatem
Egregiam præſtant vulgo; nam vita manere
His ſine jam nequeat: quin & ſolatia multa
Præterea in vita ſubſternunt dulcia nobis.
Temperat Unda ſitim Mortalibus, Unda feraci
Telluris gremium pluvia fœcundat, & herbis
Sufficit humorem, atque æſtivos temperat ignes
Per terras diffuſa & in omnes undique Gentes
Fontibus & fluviis lacubuſque in præmia vitæ
Publica, & omnem uno circumdat denique Terram
Oceano, per quem disjunctas viſimus oras,
Atque alias Gentes luſtramus & invia Regna.
Num minus Aurarum natura deinde juvamur?
Vivimus his quoniam: reſpirant aëra namque
Omnia per terras omnes Animalia vulgo:
Spiritus ille fovet plantas, arbuſtaque rupta
Tollit humo, ut creſcant, & ventis adjicit alas.
Ignis item nobis longe utilis; utimur igne,

Seu crudas mollire epulas, seu dura metalla
Ducere, seu varios libeat quoque fundere in usus.
Denique res igni multas tractamus, ut illo
Sublato e terris artes quoque protinus omnes,
Commoda tot vitæ, demum vita ipsa periret.
Propterea, ut memorant, mortalia sæcla Prometheus
Finxit ubi e limo, vitamque animamque daturus
Protinus in cæli correptus templa volavit,
Admovitque facem Soli, flammamque receptam
Detulit in Terras; sine flamma namque videbat
Non posse humanam Mortales ducere vitam.
Par rerum quapropter, eo quibus usque juvamur,
Prorsus uti nequeat consistere vita sine ipsis,
Par erit illarum rationem inquirere rerum.
  Et primo, quoniam pertusa foramine constat
Interior vario Tellus, fateamur oportet
Undantes etiam atque oblongas ducier intus
Hinc atque inde vias, quas prima Elementa necesse est
Replere; hæc extra vi magna expressa moventur,
Nimirum Terræ vi circum expressa volutæ.
Atque ita materies inter se mutua debet
Connecti, & longas effundere flexibilesque
Extra particulas: hæc sunt primordia Aquai.
  Proin facile ipsa fluit, quia lævia principiorum,
Ut tibi jam supera quoque dixi, corpora debent
Ætheris a motu, dum transmeat, exagitari,
Prætereaque potest in crebra foramina rerum
Insinuarier ingressu; madefactaque reddit,
Quæcumque humentis naturæ corpore tangit:
Quod facere haud valeat, si partibus esse globosis
Compositam dicas, quæ non hærescere possent
Rebus, at excussæ caderent subitoque volutæ
In proclive. Sequetur eam quoque particularum,
Unde quidem vinco Lymphas constare, figuram,
Ut facile in tenues abeat resoluta vapores
Unda; quia exiguæ lævesque avellier a se
Possunt particulæ: quod si primordia Aquarum

Tenuibus inter ſe perplexaque perque plicata
Conſtarent ramis, nexu magis uſque tenaci
Hærerent; viſcoſus uti liquor hæret olivi:
Hujus enim e Terra ramoſis ſemina debent
Extra expreſſa viis exire, ideoque teneri.
Præterea Undarum poſcit natura liquentum,
Ut, quando motu non exagitantur, ab alto
Nec celeres collis deſcendunt vertice, verum
Sive lacu immotæ, patulo ſeu vaſe quieſcunt,
Ut plano conſtent extrinſecus æquore prorſus
Aptatæ: quoniam, mage ſi qua extaret Aquæ pars
Extima, deflueret tum protinus inferiora
In loca procurrens, via qua proclivis; & ante
Deſinere haud poſſet prorſus fluere, atque moveri,
Quam bene conſtiterit regione æquata ſuperna.
Neve labor rationem horum cauſamque fatiget
Quærendi, tali rem protinus accipe pacto.
Finge in Aquis arcte connexas eſſe columnas
De fundo ad ſummum ſurgentes, quæ, quia conſtant
Omnes materia liquidi ex humoris eadem,
Ponderis ejuſdem pariter ſunt: quælibet harum
Proinde premunt æqua ſubtus gravitate; nec æquis
Suſtentant ideo non ſeſe viribus omnes.
Altera non igitur ſubſidit, & altera ſurgit
Tantundem; ſed, uti doceo, exæquantur Aquarum
Inter ſe liquidæ ſupera in regione columnæ.
Propterea inflexus ſurſum ſi vitreus Undam
Excipiat tubus, hanc utraque in parte videbis
Æque ſuſpenſam, & ſe pondere ſuſtentantem
Alterno: nam vis in parte æqualis utraque eſt.
Non minus id fieri repures, pars altera vitri
Si ſit craſſa magis, gracilis magis altera contra;
Namque æque Liquor altus eiſdem viribus uni
Inſiſtit fundo; niſi ſit tubus alter, inanis
Qua patet, exigui ſubtilis more capilli,
Unde Capillaris trahit a re nomen; ab illa
Nam tum parte quidem ſuſpenditur altior Unda;

Sive quod anguſtum multo tenuiſſimus aër
Inſinuatus in os minus obſtet; ſive quod Undæ
Particulæ obrepant in rara foramina vitri,
Ejus & adfixæ paulum quoque ſuſtineantur
Parjetibus; quare conſurgunt altius illinc.
  Ex his apta fidem ducit res, ſæpe quod alte
Inſiliat per ſe tubulis incluſus Aquæ fons.
Nam ſæpe a montis radicibus erumpentem
Includunt plumbo, quod montis ad ardua tendit:
Ille viam ſequitur, ſurgenſque attollitur alta
In juga. Magnopere hæc multis miranda videtur
Res harum ignaris rationum: ſcilicet Unda
Clauſa valet tantum ſuperinſiluiſſe, latenti
Quantum ſub terra ſunt alta loca, unde neceſſe eſt
Deſcendat perſæpe, priuſquam erumpat in auras
Exiliens, hanc nimirum fons uſque per artem
Attolletur eo, menſura ponderis æqua
Donec ſub cæca libret tellure cadentem
Undam; poſſit & hæc gravitate attollere contra
Surgentem; demum Lympha utraque mutua ſeſe
Hinc atque inde pari ſuſtentet pondere niſus.
  Urbibus in magnis idcirco multa videmus
Neptuni ſimulacra per os ſummumque tridentem
Ejicere undantes latices, Tritonaque Proteumque
Et Nymphas, madidi quas dicunt humida regna
Concelebrare ſalis, pertuſo e marmore late
Undique cæruleas Undæ diffundere guttas.
Scilicet ex alto deſcendens vertice collis
Per ſeſe ſubter cæco inſinuata meatu
Inſilit Unda pedes & crura & viſcera ſaxi.
Exit dehinc capitis per aperta foramina ſummi.
  Plurima præterea poſſunt humentis Aquaï
Inquiri de natura. Nos quære quædam
Hic opus eſt, & plura indicta relinquere contra:
Ne, ſi cuncta velim prælongo evolvere verſu,
Tædia ſcribentem capiant me teque legentem.
  In primis, ſalſo cur ſit maris Unda ſapore,

Quærimus; & facile eſt rationem reddere dictis.
Undique nam terras cum perluat Amphithrite,
Et paſſim terris Salium natura locetur,
Commotis miſcetur aquis Sal; atque ita totum
Æquoris humorem ſalſus corrumpit amaror:
Quandoquidem rigidæ ſpîclorumque inſtar acuta
Cuſpide particulæ Salis extant: (nempe Elementa,
Queis Sal progenitum eſt, ſimilis reperere figuræ
Interiore vias ſub Terra) proptereaque
Partibus immiſcentur, & involvuntur aquaï
Flexilibus facile, atque infixæ cuſpide adhærent.
  Plerumque ima maris pars multo ſalſior extat
Propterea; quoniam terræ vicinior illa eſt,
Unde Sales oriuntur, & acri cærula viro
Diluti inficiunt. Cur vero, Torrida multo
Solis qua ſævit Terraï Zona calore,
Æquor Hyperborei ſit amarius æquoris unda,
Dicere item facile eſt; nimirum Solis ab igne
Æthiopum maris unda reſolvitur uſta vapores
Longe in majores, quam quæ minus incalet æſtu:
Propterea remanet Salis illic copia major.
His accedit, uti minus illud temperet imber,
Et fluvii, dulcem qui largo flumine lympham
Infundant; alibi veluti ſalſedinis illum
Magnopere imminuit plerumque hæc cauſa ſaporem.
  Præterea inquires, vicibus cur æſtuat æquor
Alternis, undaſque facit quæ cauſa fluentes.
Quod tibi ut expediam, ſupra reminiſcere dicta:
Nimirum circa Tellurem Vorticis uno
Cæli materiem correptam volvier æſtu,
Lunaïque globum magnum cum turbine eodem
Tellurem prope terdenis ambire diebus.
Hæc ſuperimpendens Terræ, qua tranſit, oportet,
Mole ſua rapidis iter auris contrahat; alveum
Fluminis ut magnis educti molibus arctant
Pontes, atque undis pilæ venientibus obſtant:
Non tamen idcirco celeris minus effluit amnis:

In-

Inveniunt nam quo majora obstacula, cursus
Accelerant rapidos magis, & magis usque fluentes
Eluctantur aquæ: sic tu quoque credere possis
Arctæ damna viæ citiore rependere cursu
Æthera, qui luctans erumpere vi premit æquor
Subjectum. Undarum ratio est hinc certa fluentum:
Namque huc atque illuc partesque recedit in omnes
Compressum subter mare, & aufert littora Nautis.
  Præterea Tellus quoque ab illa parte repulsa,
Qua sibi rumpit iter celeri levis aura meatu,
Cedit in oppositum paulum latus, atque coarctat
Id spatii: unde pari fluere hic ratione necesse est
Æquor, & alterno procurrere gurgite pontum.
Ast ubi deinde locum, quo pressa est, Terra removit
A Luna; & plusquam senas circumacta per horas
Ejus ab orbe sui quarta jam parte recessit;
(Nam quoque Luna means aliquid tum temporis horis
Sex addit, quarta Tellus dum parte recedit)
In se a littoribus refluit mare: cernimus ergo
Uno circuitu prope Terræ & proinde diei
Bis fundi scopulos super, & lavere æquor arenas;
Bisque vado labente relinquere littus, & Æstu
Decrescente retro ferri, & sorbere lapillos.
  Non tamen hæc orbem, quo Terram scilicet ambit,
Ut supra docui, rapitur levis aura per æquum:
Nam qua fit Martis clypeoque hastaque minantis,
Et Veneris cælo propior, sese orbis utrinque
Parte in utraque sui nobis vicinior arctat.
Illis Luna locis idcirco (namque per illa
Bis loca mense meat; Solis cum scilicet ignes
Occiduos oriens contra atque adversa tuetur;
Cumque regit currus illi conjuncta silentes)
Illis Luna locis, inquam, cum transit, iterque
Contractum quoque mole sui cum corporis arctat,
Tempore eo premit insueta vi desuper æquor:
Propterea moti cursus pelagi atque recursus
Efficit insuetos. Cum demum examina Libræ

Æqua

Æqua tenent Solem Autumno, cum Vere tepenti
Excipit illum Aries media inter cornua luces
Noctibus æquantem; si tali tempore Luna
Orbe micet pleno, claros sive occulat ignes;
Desuper incumbet Telluri fortius: ejus
Namque viam magis atque magis tum contrahit aura;
Directa siquidem Vi Sol quoque comprimit illam:
Majores ideo pressi parit æquoris Æstus
Vere vel Autumno, quam bruma horrente vel æstu.
Congestam in cumulum tum ponti allabier undam
Aspiciunt Nautæ, magnoque relabier auctu.
Æquor Hyperboreum, quod longe a tramite Lunæ
Disjunctum est, ullus vix unquam concitat Æstus;
Quandoquidem prius unda fluens quam pervenit illuc,
Littoribus scopulisque illiditur interjectis
Paulatim, ut longis compressa anfractibus omnis
Vis prior undarum componat denique motos
Fluctus, & placida jaceat constr^ta quiete.
Herculeas contra metas invadit & Afros,
Hesperiasque plagas Tyrrhenaque littora lambens
Præterit, Ægæumque reciprocus incitat Æstus.
Attamen angustis admissus faucibus intra
Æstus ab Oceano, porro diffusus in oras
Hinc illinc omnes, vi languescente, necesse est,
Commoveat Medium salis æquor: at undique pulsus
Ad maris Adriaci clausas ubi pervenit undas,
Nec valet ulterius se extendere, sistitur illic,
Majoresque fluens undas in littora cogit.
Denique non omnes portus non perluit oras
Tempore eodem omnes, neque fluctibus intumet æquis.
Namque ubi subjectum est Lunaï viribus æquor,
Ante fluunt undæ, & majoribus incrementis
Moti tolluntur fluctus, quam portubus illis
Littoribusque, magis quæ Lunæ a tramite distant,
Quæque movens undas obliquo ea lumine cernit.
Portubus in variis etiam variare videtur
Multimodis Æstus terræ variantia propter

Lit-

Littora inæquales oras ſcopuloſque ſinuſque
Ventoſque fluvioſque, ingenti qui agmine aquarum
In mare vicinum ſe evolvunt exonerantes,
Atque alias propter cauſas; quæ ſingula poſſunt
Efficere, ut varias Æſtu variante per oras
Unda fluat, refluatque; neque uno id tempore fiat.
Quod ſupereſt, dicam, Fluviis quæ cauſa perennes
Suppeditare poteſt undas, ſemperque recentem
Lympharum e cæcis humorem evolvere terris.
Scilicet ut noſtro diffuſus corpore ſanguis
Circuit inſinuans ſeſe omnibus undique venis,
Itaque reditque fluens; ita magno in corpore Terræ
Undas perpetuo ſurſum deorſumque meare
Circuitu plerique putant, ex æquore ſummos
Scandere nimirum montes, de montibus ipſum
In pelagus volvi: nam crebro illapſa meatu
Et cæcis maris unda viis, diductaque tellus
Qua patet, inſinuat ſe magni in viſcera montis:
Dumque cavos flexus bibulas & tranſit arenas
Per tot acerba fluens, veluti per cola, relinqui
Parvula poſſe ſalis retro corpuſcula credunt;
Omne ut propterea vitium purgetur aquarum;
Illæ jamque leves ſalium gravitate relicta
Paulatim magnos intus conſcendere montes
Poſſint, atque jugis evectæ erumpere ſummis,
Et ſic in ſuperam diffundere Flumina terram.
Hic cave, ne falſa capiaris protinus horum
A ratione, ruit penitus quæ collabefacta:
Neptuni nec enim manſueſcere corpus acerbum,
Nec maris unda valet tetri primordia viri
Linquere; quantumvis tot eat per acerba locorum,
Tot per inæquales terras, tenueſque lapillos
Tranſmeet. Haud ullo conatu conſilioque
Multimodis tentans Ars unquam effecit id ulla,
Ut ſecerneret illa ab aqua, ſeorſumque relicta,
Per quæ tranſcurrunt, inter tot cola videret;
Semper enim prima contractum in origine virus

Illa

Illa tenet, ſemperque ſuus ſervatur amaror.
Nec, ſi ſub terris acri ſpoliata ſapore
Unda ſit, & ſalſo levior proinde æquore conſtans
Paulum attollatur ſuper ipſas æquoris undas,
Unquam erit, eductos in cælum ſcandere montes
Ut queat, atque adeo immani ſe attollere ſurſum
Aſcenſu; cum tot præſertim obſtacula ſeſe
Objiciant, dum denſa meat per cola, ſalitque.
Altera proin Fluviis quærenda videtur origo,
Certaque de terris quæ Fontes cauſa reſolvat.
Et jam cum ſalium videamus corpora pacto
Non alio poſſe æquorea diſcernier unda,
Quam cum abit in tenues reſoluta calore vapores;
(Nam pariter nequit humenti cum nube vaporum
Suſtolli gravior ſalium natura per auras)
Dicimus hinc riguis evolvi Fontibus undas.
Scilicet in gremio Tellus habet undique ſubter
Speluncas valleſque cavas vacuoſque receſſus,
Hoſpitium undarum; quæ ſe in loca concava lapſu
Furtivo inſinuant ex æquore, conveniuntque.
Illic in calidos ſolvuntur ab igne vapores
(Nam rapidis etiam Tellus furit ignibus intus),
Qui levitate ſua ſublati in concava montis
Parjetibus cæcis ſiſtuntur, frigida queis eſt
Natura: exiguas undarum proinde neceſſe eſt
Solvier in guttas conſtrictos frigore ſaxi,
Quarum perpetuo ſudant humore cavernæ;
Et jam majores, ſemperque recentibus auctæ
Diſcurrunt flexos guttæ per fornicis arcus.
Roſcidus hic montis cruſtis ita deſluit humor,
Erumpitque viis in aperta latentibus extra;
Ut jam Rivus aquas ſerpenti deferat alveo,
Et prima tenues effundat origine Fontes.
Si tamen hæc etiam fundendis Amnibus impar
Cauſa videtur, & ex aliqua tibi parte vacillat;
Et quia jam ſeſe vis tanta evolvit aquarum
Undique per terras tam multis Fontibus omnes;

Sci-

Scilicet ut raro fornix sub monte cavatus
Non posset tantas dare tantis Amnibus undas:
Verum pauper aquæ tunc inter saxa lapillosque
Obstreperet Rivus, qua nunc devolvitur Ister,
Et dorso classes immani bellaque gestat;
Et quia deberent non vere tumescere tantum
Imbrifero Fontes, neque tantum æstate calenti
Imminui; paribus prope verum erumpere lymphis;
Semper at ipse vides pluviis crescentibus ipsos
Augeri Fontes, largo & ditescere fluctu:
Indignetur uti jam torrens unda teneri
Ripis, & super alta fluens obstacula victrix
Grandia corripiat vulso cum robore saxa.
At Nemeæus ubi findit Leo fervida multo
Arva calore furens, arescunt Flumina late
Transilienda gregi persæpe: ita scilicet undis
Tenuibus aspicies imo jam serpere fundo.
Hæc, inquam, si propterea non posse videtur
Causa suas riguis largiri Fontibus undas;
Omnia jam pluvio descendere Flumina cælo,
Dicendum est: hæc namque ferunt dare certa petenti
Montanis responsa jugis specubusque cavatis
Naturam, clamosa fugit quæ sæpe Lycea,
Uberibusque colit stillantes undique guttis
Speluncas: hæc proinde cupit qui certa doceri,
Montibus & solis Naturam interrogat antris.
Quapropter superis rupti de nubibus imbres,
Et tabescentes extructæ in montibus altis
Verno Sole nives possunt dare Fontibus undas.
Nam quoniam Tellus non est æquata superne,
Ut mare, cum placidis late consternitur undis,
Sed modo sublatis in cælum montibus alte
Surgit; inæquali modo sidit valle deorsum;
Propterea fit, uti pluviæque nivesque solutæ
Montibus in magnis, atque inter strata receptæ
(Nam super impositis montes constare videmus
Et lapidum & terræ protensis undique stratis).

Sub

Sub terras vario flexu illabantur hiantes.
Tum qua inter cruſtas patet exitus, ilicet extra
Proſiliunt, primiſque erumpunt Fontibus undæ.
Flumina propterea, qua Phœbi a tramite diſtant
Terraï gelidæ regiones, tempore brumæ
Parva ferunt inopes undas, augentur at æſtu:
Nam glacie quas triſtis hiems duraverat undas,
Diſſolvens altis evolvit montibus æſtas.
Tum, quibus in terris magna vi ſæpe quotannis
Rumpitur imber, & effuſis juga cana teguntur
E cælo nivibus, vaſta undique volvere cernes
Flumina magnarum pelago vectigal aquarum:
Contra qua raros effundit Juppiter imbres,
Ut ſiccis Libyæ regionibus, illa, neceſſe eſt,
Rara fluant tenui per humum ſerpentia rivo.
Mons tibi præterea (pluviæ neque montibus unquam
Præcelſis deſunt: illorum ſemper inumbrant
Namque ſupercilium, & nigra caligine cingunt
Perpetuæ nubes, illuc quas undique venti
Portantes cogunt, ſummoque cacumine ſtipant)
Mons, inquam, qui radices a vertice ad imas
Vel bibula tantum terra vel conſtat arena,
Aut ſi quem ſaxum ſuper impenetrabile late
Obtegat, ut pluviæ nequeat liquor inſinuari,
Haud ullos valet ex ſeſe tibi reddere Fontes;
Extra quandoquidem ſubito vel defluit omnis
Unda, vel inferni penitus ſub viſcera montis
Sorbetur terra. Verum ſi deſuper humor
Intus iter reperit cæcum, tum deinde rigentis
Incidit in ſtratum ſaxi declive, neceſſe eſt,
Ultra non penetret, ſed per declivia dorſi
Diſſluat, & ſuperas ita Fons ſe reddat in auras.
Cum gemina inſinuant ſeſe inter ſtrata ſolutæ
Alto in monte nives, variis ut flexibus unda
Huc illuc, veluti ſit clauſa canalibus, erret
Deſcendens ſalienſque, jugis perſæpe ſub altis,
Exitus hic illi ſi ſecto inventus hiatu eſt,

Pro-

Profilit; & falſo Fons ſæpe ſub æquore ſurgit
Dulcis aquæ, ut celeri ſaliens iter impete rumpat
Inter cæruleas Nautis mirantibus undas.
  Neve putes Fluviis non poſſe ingentibus undas
Sufficere effuſos cæli de nubibus imbres:
Namque inita in variis terræ regionibus horum
Eſt ratio; ut pluviæ vis cælo quanta quotannis
Decidat, & quantam devolvant Flumina, conſtet:
Scilicet & vera ſemper ratione repertum eſt,
Imbrem & Fluminibus latices dare poſſe perennes,
Poſſe & abundantem ſilvis atque omnibus herbis
Sufficere humorem, vis ut quoque magna ſuperſit.
  Invia nec ratio eſt, cum ſe de partibus orbis
Omnibus exonerent immenſis fluctibus Amnes
In mare, cur nunquam creſcat, tectiſque redundet
Littoribus pontus, ſeque efferat altius uſque:
Flumina quandoquidem, quos fluctibus undique magnis
In mare devolvunt, latices ex æquore ſumunt:
Nam Sole & validis verrentibus æquora ventis
Sublati in pluvias ſolvuntur deinde vapores.
Quin Sol & validi verrentes æquora venti
Internum minuunt longe majoribus undis
Hoc mare (conſtat uti vera ratione repertum),
Quam poſſint augere, fluunt quæ maxima cumque
Undique in hoc pelagus diverſis Flumina terris,
Scilicet & Tanais gemini ad confinia Mundi,
Atque Boryſthenius Scythica nive turgidus Amnis,
Cumque ſuis late ſexaginta Amnibus Iſter,
Quondam & Threiciis ſtupefactus verſibus Hebrus,
Eridanuſque pater Rhodanuſque & dives Iberus
Et Thuſcus Tibris ſeptemque per oſtia Nilus
Unicus in terris Ægypti totius Amnis.
  Expertes pluviis campos fœcundat inundans
Ille per æſtatem; quoniam ad caput ejus in imbres
Tempore eo totus congeſtis ſolvitur æther
Nubibus, & magnis Lunæ de montibus alte
Tabificis Phœbi radiis liquefacta ruit nix.

Flumina præterea ſunt, quæ ſalſedine tinctas
Devolvunt undas: Salium loca namque ſub alta
Prætereunt terra latices, viruſque receptant.
Sulphuris idcirco quoque plurimus halat odorem
Fons, & naturam ferri ſortitur & auri:
Rerum quandoquidem lymphis permiſcet earum
Particulas, per quas ſub terra labitur alta.
Sunt etiam quædam, quæ certo agitantur ab æſtu,
Ut mare, quod certas refluitque fluitque per horas,
Flumina: nam, moto pelagus cum tollitur æſtu,
Fit via declivis minus Amnibus; unda neceſſe eſt
Proinde minus celeri pede defluat; atque ita ſurſum
Æſtu attollatur; verum refluente videbis
Æquore declivi poſt volvi Flumina curſu,
Et celerare viam, & rapidas ſubmittier undas.
Hinc etiam Natura Lacus conſiſtere fecit:
Namque eadem his undas largitur cauſa perennes,
Quæ facit, ut vaſtis decurrant Flumina terris.
Horum aliqui haud ullos emittunt, excipiuntque
Exterius Fluvios: Lacus eſt Thraſumenus ut ingens
Notus jam propter tot quondam Romulidarum
Funera, cum dira jacuerunt clade rubentes
Illius ad ripas cæſi cum Conſule Cives;
Jamque videbatur belli Fortuna, tremebant
Omnia terrifico cujus concuſſa tumultu,
Decidere haud anceps inter Pœnoſque Latinoſque,
Utrorum ſub regna foret terraque marique
Cunctis, quotquot agunt Gentes ubicumque, cadendum.
Eſt etiam Lacus in Latio, dixere Regillum,
Hic ubi Tarquinii compreſſa ſuperbia Regis,
Flumina qui recipit non ulla, nec edita fundit.
Sic profert America Lacum inter cætera multa
Mirandum, nuſquam quo viſitur amplior alter,
Parque mari eſt, Parimeque vocant; jacet ille ſub altis
Andibus, & vaſtis late conſternitur undis.
Hi ſimul atque alii, qui ſunt ſine Flumine circum,
Conſtanti ratione nec imminuuntur ab æſtu,

Vere

Vere nec augeſcunt pluvio. Quapropter oportet,
Ut cæcis Natura viis tellure ſub alta
Uſque miniſtret aquas Fluviorum, ſubter & illos
Semper perpetuis extantes impleat undis.
Sunt tibi deinde Lacus, qui Flumina multa receptant,
At nullum emittunt: quo de genere eſſe videtur
Hyrcanum magnis clauſum undique montibus æquor;
Sulphureuſque Lacus, qui dicitur Aſphaltites,
Jordanis magnas venientes excipit undas,
Contra ſuetus aquas de ſeſe reddere nullas.
Illi propterea, quoniam conſiſtere iiſdem
Cernuntur ripis, neque magnis augmina ſumunt
Exceptis Fluviis, quanta eſt infuſa ſuperne
Undarum vis per Fluvios imbreſque niveſque,
Tantundem occultis debent emittere cæca
Sub tellure viis, & Flumina fundere ſubter.
Oppoſita ratione Lacus, qui Flumina de ſe
Multa palam effundunt, at contra nulla receptant,
Debent imminui paulatim, arctareque ripas,
Denique ſiccato ſine aqua conſiſtere fundo;
Excipiant Fluvios niſi ſubter, & uſque recentes
Suppeditentur aquæ, ſupera quas reddere poſſint.
Poſtremo excipiunt venientia Flumina multi,
Et ſimul emittunt extra; velut eſſe Lemanum
Scimus, quem Rhodani tranſmittunt deſuper undæ.
Nec tamen immotis venientes tranſque meantes
Immiſcentur aquis: quod mirum haud eſſe videbis
Propterea, levior quia Fluminis unda jacentem
Immotamque Lacus properans ſuperinnatat undam.
Denique, quod reſtat quærendum, percipe porro;
Scilicet ut pluvio concreſcant Nubila cælo
Et Nebulæ; tum qua ratione oriantur & Imbres
Et tenuis quoque Nix & duræ Grandinis ictus.
Nubila concreſcunt, ubi corpora multa vaporum
Hoc ſupera caput in ſpatio coiere patenti;
Hi porro ex undis tolluntur ab igne vapores:
Namque ubi Sol, & , ſub terra quæ condita fervet,

Flamma simul pelagus fluvios terramque madentem
Concalefecerunt, agitatis surgere bullas
Est opus ex undis, oculi plus cernere nostri
Quam possint, tenues; ut, cum fervescere aheno
Inclusos latices subjecto cernimus igne,
Ex undis bullæ ferventibus exoriuntur:
Ignea vis quoniam, quæ secum corripit undam,
Intus clausa facit, liquidum ut turgescat in orbem,
Hæc ergo lymphæ vesicula multa tumentis,
Cum tenuis, nostro leviorque sit aëre multo
(Nam pro mole minus comprendit materiaï),
Debet tum propria sursum levitate volare,
Atque loci conscendere eo, quo tenuior aër
Libret aquæ tenues bullas vi ponderis æqua,
Aurave frigidior supera constipet euntes,
Atque graves mage reddat, & ascendentibus obstet.
Namque ea, quæ supra est, regio mage frigida constat
Aëris idcirco; quoniam & ferventia terræ
Viscera conceptos exhalant hic prope fumos,
Et Solis radii reflexi protinus imas
Aëris exagitant partes, atque undique motu
Impellunt perturbato, geminantque calorem.
Quin ipsi hac possunt motus ratione vapores
Progigni; siquidem divulsas æquore partes,
Æquore vel terris ita magnus concitat æstus,
Aëris ut subito quoque fiant mobiliores
Particulis, ipsisque leves magis: inde necesse est
Impulsæ a terris sensim in sublime ferantur.
Adde quod & junctæ rapidi subtilibus ignis
Particulis una componunt aëre corpus
Hoc nostro levius; vel ita imminuuntur eædem,
Pondus ut existat pertenue, sed extima circum
Non sic decrescat facies pro corpore; possint
Auris ut tolli leviores atque teneri.
  Quapropter fiunt Nubes, cum tenuis hic unda
Halitus atque vapor superas expressus in auras
Undique conveniens ventoque ferente coactus

Suffundit nigrà cælum caligine, & altas
Paulatim in Nubes concreſcit conveniendo.
Et quia tunc aër magis opportunus habendo eſt,
Cum gravior prodit cum denſior ipſe, vapori,
Per brumam idcirco (ſit enim tum frigidus aër
Denſior & gravior) recipit retinetque vapores
Agmine majori, quam cum idem rarior æſtu eſt.
Halitus iſte tamen ſupera aſcendentis aquaï
Si gravior ſolito ſit, uti ſe tollere longe
Non valeat, terræ ſed valles integat imas,
Inſideatque caſis, & agreſtia culmina inumbret,
Fit Nebula; a tenui quæ non diſtare videtur
Nube, niſi in ſuperis hæc quod ſuſpenditur auris
Altior ac levior: contra depreſſior illa
Obnubit nigro terram velamine inhærens.
Per brumam idcirco Nebulæ plerumque coortæ
Viſuntur; quoniam conſcendere protinus aër
Non ſinit e terris ſtipatas frigore bullas.
Hac etiam e cauſa multo plus Nubila conſtant
Alta per æſtatem, gelido quam tempore poſſint.
Tum porro Pluvius cæli deſcendit ab altis
Nubibus humor, & in terras devolvitur Imber
Propterea, quia, cum nubes loca frigida cæli
Aſcendere leves, aër denſare vaporem
Frigidus, humentes & aquarum aſtringere bullas
Incipit, & ſubito nativas ſolvere in undas,
Jamque graves cadere ut poſſint volvique deorſum.
Fit quoque, uti ventus ſæpe inter nubila vehemens
Exortus tenues impulſu jactet aquarum
Inter ſe bullas; has illo proinde neceſſe eſt
Rumpi ex conflictu, inque graves quoque ſolvier undas
Guttarum; quas tum facit aëris aura rotundas
Parte premens omni; non æquo hæ tempore deorſum
Dum labuntur, ab alta æque nec nube ſolutæ,
Nec ſimul, & prius infernis tum forte ſupernæ,
Illo nimirum veniens erit obvia caſu
Una alii; hærebunt inter ſe mutua multæ

Propterea, majore cadent & mole per auras,
Quo ſpatii plus, unde ruunt, erit interjecti.
Proin in valle cava magnis ſtillare Viator
Expertus nubem guttis; quo ſe altius effert
In montem, magis hoc tenui reſpergitur unda.
 Idcirco guttis æſtivus grandibus Imber
Defluit ex alte ſuſpenſa nube ſolutus;
Quandoquidem in terras præceps per vaſta locorum
Aëris e cælo ruit intervalla liquentum.
Aſt hieme aut in aquam ſubito ſe nubila ſolvunt,
Emittunt guttas & aquarum proinde minutas;
Altius aut paulo ſi forte evecta ferantur,
Plus ubi crudeſcunt ſtipantia frigora, ninget.
 Nam fit, uti ningat, cum corpora parva vaporum
Inter ſe varia coaleſcunt apta figura
In floccos, adjecto ut labi pondere deorſum
Poſſint in terras turba majore coorta;
Nec tamen in guttas liquidæ ſolvantur aquaï;
Nam vetat id fieri frigus, quod ſævit in altis
Acre locis; ſtipat namque ipſos ante vapores,
Quam juncti inter ſe liquidas vertantur in undas.
Tunc tibi Nix cælo multa vi decidet alto,
Sternet agros, foliiſque carentes integet hortos,
Confundetque vias; juga montium & undique nuda
Caneſcent nemora, & laſſabunt pondera ſilvas.
 Si vapor in guttas redeat reſolutus aquarum,
Frigida conſtringat pluviam tum deinde cadentem
Aura; ruet diræ vis Grandinis horrida cælo
Protinus; æſtivo fieri quod tempore ſæpe
Vidimus: æſtivo nam tempore nubila conſtant
Sæpe ſuper gelidi regiones aëris alta.
Nimirum non ulla magis florentibus agris
Noxia peſtis & Agricolis inviſa; quod illis
Momento plerumque brevi populata laborem
Divitias omnes adimat, ſpemque unius anni.
Vidi ego, cum lætis florerent omnia campis,
Jamque e flore novo caperet ſpem meſſis opimæ,

Et feſto Pubes reſonaret ruſtica cantu;
Ecce repente atra tegitur caligine cælum;
Exoritur gelidi vis venti; deinde coruſcos
Inter fulgores interque tonitrua crebra
Inſequitur toto tempeſtas horrida cælo
Fluminibus ventiſque furens & grandine miſſa.
Extemplo excuſſis inſtrata eſt floribus omnis
Undique humus; teneri ſucciſi verbere fœtus
Submiſere caput; contuſæque ictibus herbæ
Emoriebantur: ſpectatum dira per agros
Erumpunt miſeri multa cum prole Coloni,
Et vitem & ramos oleæ frumentaque luſtrant
Flentes, & circum demiſſis vultibus errant.
At, quæ pertenues placida de nocte vaporum
Surgunt particulæ, facile a frigentibus umbris
Denſatæ ſimul in guttas ſolvuntur aquarum;
Et matutinus foliis reſpergitur humor
Herbarum, Sol ante ſuo quam ſurgat ab ortu.
Dicimus hunc Rorem, per quem viridantia florum
Prata vigent; illum per paſcua læta per herbas
Lanigeræ pecudes gemmantem mellificæque
Conſectantur Apes, & cæli dona legentes
Aptum operi humorem certatim in tecta reportant.
Noxius at ſæpe eſt, ſalſis ubi & acribus idem
Conſtat particulis, teneram quibus urit inhærens
Lactentem ſegetem, & nigra rubigine meſſes
Inficit, & triſti florentia quæque veneno.
Eſt quoque plantarum ut foliis hæreſcere guttas
Cernamus multo illarum ex ſudore coortas,
Perpetuo liquidas qui fluctu expirat in auras
E venis, ubi hiant patulæ; nec luce videntur;
Nam Sole & ventis tenuis diſpergitur humor:
Verum in lacrymulas collectus nocte ſilente
Per frondes, illic, qua ſcilicet exit, inhæret,
Non alibi, ut faceret, frigentibus halitus auris
Si tum fors caderet parvas concretus in undas.
Per noctem clauſæ quin tectis uberiori

Humore exſudant plantæ, foliiſque madeſcunt
Plus, quam quæ cæli ſub aperto tegmine rorant;
Quo quamvis ſileat, tamen eſt agitatior aër.
At fiunt gelidæ tenui de rore Pruinæ;
Ros ubi nimirum conſtrictum eſt frigore multo,
Duruit inque gelu, parvaque incanuit unda.
Interdum vario pluviæ contincta colore
Plurima gutta cadit cælo; quia mixta cadentem
Undarum pluviam ſalium natura colorat,
Quæ, quia tam varia eſt, varie ipſas inficit undas.
Proinde pluiſſe ferunt lacte aut rubigine flava,
Sulphureumque etiam cecidiſſe e nubibus imbrem.
Interdum & guttis perterrita corda cruentis;
Nam tum, cum caderent, occurſavere per auras
Rubrarum populo, queis corpora parva, Volantum,
Et madefecerunt, ſecum implicitaſque tulerunt.
Triſtibus his acti quondam, pro pectora Veri
Inſcia! prodigiis dirum omen cæde piabant
Quadrupedum, & fuſo placabant ſanguine Divos.
Ergo cadens pluviæ vis ſordibus aëra multis
Abluit; omnigenis nam novimus aëra mixtum
Corporibus; quid enim e terris non ſurgit in auras
Evectum vel ſponte ſua, vel ſolis ab igne?
Quare poſt imbrem longe puriſſimus aër
Pellucet, radiiſque micantibus exoritur Sol
Pulchrior, & claro vireſcunt prata colore,
Lætius & vernæ juveneſcunt undique plantæ.
Nunc age, quandoquidem liquidis elabimur undis,
Protinus Aërias ultro evadamus in auras:
Magnum iter: at neque Dædaleas adnectere pennas
Eſt humeris opus, aut ventos animaſque ſecundas
Poſcere, ut evectos ſuſtentent Aëre tenui:
Uſus erit tantum ſe tollere mobilitate
Ingenii, & magnas animi contendere vires;
Se levis ut liquidum librare per Aëra poſſit
Mens, neque præcipitem confiſa timere ruinam:
Cum ſequitur felix præſertim iter atque volatus
Ejus,

Ejus, quem super & ventos aurasque liquentes
Æthera per purum jam in cælum Gloria tollit.
  Quapropter filis constat pertenuibus Aër
Et longis & flexilibus; quam nempe figuram
Inventæ fecere viæ Tellure sub ima
Primi connexis Elementi conque globatis
Partibus inter se, sursum quæ protinus altam
Expressæ terram super & mare fundebantur.
Fluvida propterea natura & rara liquensque
Aëris est; facili quoniam ratione moventi
Cedit materiæ, quæ primis atque secundis
Constat, uti supera quoque diximus, ex Elementis,
Omnibus atque locis rebusque intersita vulgo est.
Sunt porro oblongæ partes, ut fila pilique:
Nam secus haud valeas rationem reddere dictis;
Quare compressus subita vi polleat Aër
In spatia ampla magis se protinus expandendi.
Ut, cum folliculis Juvenum socia agmina ludunt,
Impelluntque leves alte jactantque per auras;
Illos, vix feriunt delapsi ex Aëre terram,
Protinus impletos vento resilire videmus
E terra, rursusque cadunt, rursusque repente
Exiliunt; multosque ita cernis reddere saltus,
Propterea quia, dum constringitur intus in ictu
Aër, vi magna se protinus explicat; atque
Impellens terram, quæ dura immotaque perstat,
Illa folliculum tolli vi cogit in auras.
  Quam magis ut possis venti vim noscere sese
Expandentis, ubi est compressus, percipe causam.
Dico itaque a magnis id prorsum materiaï
Viribus ætheriæ prodire; patentia rerum
Intervalla viasque means dum transit apertas.
Namque ubi marmoreum celeri pila eburnea casu
Lapsa pavimentum subter ferit, ilicet illam,
Qua tetigit, partem subito complanat in ictu;
Materiæque vias constringit proinde meanti:
Protinus obstructum sibi iter connititur illa

Latius efficere, & clausos aperire meatus;
Quod facere haud certe possit, nisi prorsus eburnæ
Compressum attollat subito latus illa pilaï,
Compellatque suæ reddi, velut ante, figuræ.
Hac ratione etiam, adducto cum tendere nervo,
Et prope conjunctis inflectere cornibus arcum
Nitimur, ille manum contra nervumque repugnat
Vi, qua in directam sese componere virgam
Certat, in antiquam pariterque redire figuram.
Vixque manu nervum tendente remittimus, arcus
Vi resilit tanta, nervumque repente reducit,
Ut faciat celeri metiri multa volatu
Excussam stadia, aut in nubes ire sagittam.
Præterea horarum numerum noctuque diuque
Quæ notat, in parva quid tales pyxide motus
Efficit, atque rotas varios quid volvit in orbes?
Quid? nisi, quæ clausa est intus, lamella rigenti
E chalybe, in gyros iterumque iterumque voluta
Circum multiplices iterumque iterumque plicata:
Pugnat enim contra dum evolvier, exque plicari
Vi multa, facit ire rotas, ferrumque moveri,
Possit uti numeris ostendere tempora certis.
Namque vias tum pars chalybis convexa, vel arcus
Dilatat, contra penitus pars concava claudit:
Materies ingressa vias quapropter apertas
Ex alia parti clausos transire meatus
Cum facile haud possit, velut ante, recludere multa
Vi contendit ea constricta foramina parte,
Inque situm chalybemque arcumque referre priorem.
Si tamen ille diu flexus linquatur, ut intra
Demum aperire novos possit sibi multa meatus
Materies, facile hæc quibus egrediatur apertis;
Amplius haud arcus poterit resilire, sed usque
Curva tibi abscisso quoque nervo ea virga manebit.
His tibi firmatis rebus, cognoscere causam
Tutemet inde potes, quam propter polleat Aër
Compressus nisu se protinus evolvendi:

Ni-

Nimirum illius pertenuia fila pilique,
Eſt opus, ut ſubito compreſſi extrinſecus edant
Conatus contra validos, reſilireque pugnent.
Exagitantur enim, velut omnia, materiai
Ætheriæ a magno, quæ permeat undique, niſu.
Et quoniam ætheriæ magis exagitantur ab igne
Particulæ, intendi vis Aëris illa calore
Debet, & inde Aër fieri quoque rarior æſtu:
Proin veſica levis diſtenditur inque tumeſcit,
Ut crepitu magno tandem rumpatur, ad ignem.
Utque magis quoque pervalidas cognoſcere vires
Aëris eſſe queas, tali rem funditus omnem
Percipe ab exemplo; licet ignorare profecto
Id nequeas: nam ſæpe reor vidiſſe, vel illud
Audîſſe a multis ſaltem inter mira relatum:
Scis certe, quod dicam, & cætera de genere horum
Multa, mihi quæ mox etiam dicenda ſuperſunt:
Attamen idcirco non prætereunda videntur.
Nam ſi cuncta quidem voluiſſem, cognita conſtant
Quæ tibi, non ullo vulgata relinquere verſu;
Nil equidem numeris potuiſſem claudere noſtris,
Nil doctis (quid enim neſcis?) mandare camœnis.
Quo validas igitur poſſis cognoſcere vires
Aëris, Aërii reminiſcere (namque ita ſuemus
Appellare) tubi, conſtet licet ille rigenti
E ferro, multam ferrum intra namque per artem
Compreſſum validis conatibus Aëra claudunt,
Immittuntque pilam plumbi ſuper, ecce repente,
Incluſis ubi dant egreſſum extrinſecus auris,
Quæ ſpatio ſeſe majori expandere pugnant,
Evolat illa fero pulſa egredientibus illis
Impete; uti nequeas oculis vigilantibus uſquam
Prendere perceleremː ſi quæ ſunt obvia, frangit,
Pariete ſeu duri colliditur incita ſaxi.
Propterea claro Boyli quoque Machina verſu
Scribenda eſt, quantæ nobis hoc fonte repente
Notitiæ rerum & fluxerunt utilitates?

In primis tripodem super altum impone rotundi
Fornicis in morem (forma hæc est apta) cavatum
Vas vitreum (Excipiens hoc dicimus); æreus orbis
Glutine cui subter jungatur; hiantiaque ora
Prorsus claudat, uti de parte extrinsecus ulla
Vas non possit in hoc immissa illabier aura.
In medio tamen æs subter pertunde, quod ore
Extremo subeat conserti fistula ferri;
Transversum medio cui septum impone canali;
Possit uti claudi pariter, pariterque recludi,
Sive aditus prohibendus erit, sive exitus auris
Dandus ab exhausti concluso fornice vitri.
Amplior huic porro subter jungenda canali est
Antlia; cui validum tu dehinc aptare memento
Embolum, ut ipse cavo lateri respondeat apte
Insertus, ne qua possit transmittier Aër.
Atque ea præterea sit aperta foramine parvo,
Valvula quod toties occludat, tractus ab alto
Descendit quoties ægre, premiturque deorsum
Embolus; ast eadem recludat aperta foramen,
Idem cum facili sustollitur impete sursum.
Cum constructa tibi hæc constabit Machina, ab ipso
Educes, intra qui clauditur, Aëra vitro.
Namque ubi restantem multa vi traxeris infra
Embolum; ut interea nequeat per tenue foramen,
Valvula quod clausit, venientem extrinsecus auram
Excipere, utque omni constet prorsum invia vento
Antlia, fundetur loca per magis ampla repente,
Et rarefiet spatiis majoribus intus
Aër: propterea vitri de vase cavati
Irruet angustum per ferrum septaque ferri
Per reserata, locisque, vacat quibus antlia, sese
Diffundet: dehinc claude viam mediumque canalem,
Excipiens auris ne vitrum possit adiri,
Fac super ascendat tunc embolus, Aëraque omnem,
Antlia quem cohibet, per apertum expelle foramen:
Dein iterum atque iterum demitte, & tolle vicissim:
Ex-

Exhaustum crasso demum vas Aëre prorsus
Constabit; tamen usque levis tenuisque manebit
Aura, potest quæ se vas insinuare per ipsum:
Transit enim levis aura per æra & saxa per aurum,
Et si quid solidum magis est & durius istis.
Non tamen hac possunt Animantum vivere sæcla:
Si namque exhausto quævis Animalia vitro
Sint inclusa, simul cum deficientibus auris
Deficiet quoque vita: cita nam morte repente
Exhalare animam, vitamque efflare videbis.
Invento sed ab hoc ut possis noscere quanta
Sese expandendi vi constet præditus Aër;
Rugosam penitus collo intus claude ligato
Vesicam; vitreo clausas tunc Aëris auras
Atque iterum atque iterum de vase educere tenta.
Paulatim, insertum calami per tenue foramen
Ac si inflata foret, distenditur illa tumescens,
Et magnam in molem sese explicat; atque ita crescens
Rumpitur interdum; vis intus tanta animaï est.
Nam quamvis primo sub rugis parva lateret
Aëris aura; tamen, cum non extrinsecus Aër
Exhausto premeret vesicam vase receptam,
Sponte sua molem se dilatavit in amplam
Quantulacumque. Sed his quoque rem superadjice miram;
Pondera magna quater denas pendentia libras
Imposita attollentur, ubi vesicula parva
Incipiet sese evolvente tumescere vento.
Ergo etiam atque etiam vi magna præditus Aër,
Qua sese in spatia evolvit, videatur oportet.
Hac, etiam fit, uti de causa bulliat unda
Vitro inclusa cavo, velut igni fervida magno;
Quandoquidem aurarum multæ, quas continet illa,
Particulæ sese spatia in majora repente
Extendunt, quia non aliis extrinsecus auris
Urgentur, bullasque inflant spumantis aquaï.
Incipe jam veris rationibus Aëris auras
Esse leves prorsus dediscere: nam Puerorum

Per-

Perfacile errorem teneris hunc mentibus ætas
Imbibit; e terris ubi eas consurgere cernit,
Et supra caput ætheriis diffundier oris.
Dico itaque esse gravem, tenuem licet atque fluentem
Aëra, quod tali nunc est ratione probandum.
Longus & ex una bene clausus parte, rigenti
Sit tubus e vitro, quem repleat unda supinum;
Lymphæ in suppositum vas illum deinde revolve.
Protinus haud omnis subjectum defluet in vas
Unda tubi inversi, ast alte suspensa manebit
Triginta plus quam pedibus: quia scilicet Aër
Lympham in vase premens suspensam sustinet illam,
Inverso quæ clausa tubo est, descendere deorsum
Nec sinit: haud alia fieri ratione quod ulla
Posset, quam quod aquæ tantundem pendere debet
Suspensæ moles, quantum æque crassa columna
Aëris, a nobis quæ sese extendit in altas,
Qua locus aurarum cumque est, cæli regiones.
Propterea pari libratæ pondere sese
Mutua sustentant, & aquæ suspenditur augmen.
Si tamen infundas argenti pondera vivi
Pro lympha, vitrumque revolvas, altius illud
Hærebit paulo, bis denos ad digitos quam
Additus octonus; tantundem hoc densius unda est
Scilicet argentum, quanto est eductior illa.
Quod si pertundas extremo in vertice vitrum,
Possit ut illabi celer, & replere vacantem
Desuper aura locum, subito ruet unda deorsum
Aëre pressa novo, nec jam suspensa manebit.
Auras nonne graves igitur fateare, necesse est?
Auras porro aliquo compressas vase videbis,
Quam non compressas, plus pendere; proinde fatendum est
Aëra, qui propior nos ambit, & undique circum
Funditur in terras, spissumque gravemque superno
Esse magis, quia ab hoc urgetur, comprimiturque.
Aër propterea non æque pendit ubique:
Summis namque locis minus est gravitatis in illo.

Altior ad montis radices ſcilicet imas,
Vertice quam ſummo poſſit ſuper, unda tenetur
In longo ſuſpenſa tubo, quia denſior Aër
Hic premit & gravior, quam montibus in proceris.
Altior eſt, circum cogentibus undique ventis
Aër in medium cum deſuper accumulatur,
Vel cum præcipitat ſupera e regione deorſum;
Hac ratione etiam ſervatum eſt flante quod idem
Fit gravior Borea, quia denſior exit ab illo;
Denſior hic itidem brumæ per tempora torpet,
Et gravior, majuſque vapores addere pondus
Novimus eductos; qui contra ſæpe ſoluti
In pluvias faciunt paulum deſcendat aquaï
Alte in producto vitro ſuſpenſa columna:
Tum quoque deſcendit ſurſum ſpirantibus auris,
Aut illinc abit in ventum ſi plurimus Aër,
Æſtifer interdum vel cum furit Auſter, & omnem
Africus involvens nigrantibus æthera nimbis;
Aër quandoquidem leviorque & rarior æſtu eſt.
Non tempeſtates tamen his præſcire futuras
A cauſis dabitur, non omnes novimus ipſi
Præterea, quæ ſe immiſcentes omnia turbent
Indicia, & certos nullo nos tempore reddant.
Scandit item calamum, ſitienti deſuper ore
Cum trahis, unda levis, quia preſſa extrinſecus intra
Inſinuat ſeſe, & loca ſurgens Aëre ſcandit
Evacuata: velut latices de fontibus imis
Æſtu ſæpe bibunt Paſtores, feſſaque magnos
Humectat ſitiens Venantum turba labores.
Sic etiam inflexo vacuant fluitantia lymphis
Labra tubo; facito ejus enim pes unus ut intra
Immergatur aquis; at multo longior extra
Pendeat alter: ab hoc ducas ſi tum Aëra vitro
Incluſum ore trahens, ſcandens ſuper unda ſequetur,
Perque tubum ſalienſque cadenſque ita defluet omnis
Paulatim, vacuum donec vas omne relinquat.
Nunc agere incipiam, Ventos quæ cauſa fluentes

Exci-

Excitet, ut late terras late æquora perflent,
Nec mundo exiguam Venti dant utilitatem:
Auras Viventum sæclis hi namque salubres
Constituunt; crassi purgant hi putrida quæque
Aëris, & nebulas exhalatosque vapores,
Qui plerumque luem terris morbosque dedere,
Discerpunt toto cælo undique disjicientes.
Sol æstivus item calidis minus ignibus ardet
Flantibus his; aliter ferventibus ureret agris
Florentem segetem, pecudesque hominesque necaret.
At quis consilio factum sine Numinis acri
Arguat hoc, Phœbi radiis suppôsta calentis
Quod loca terraï Ventis perflentur ab ortu
Perpetuis; æstumque levent hi, sæcla Animantum
Incolere ut mediæ possint loca fervida Terræ?
Quapropter Venti, mediam qui frigore perflat
Perpetuo Zonam semper directus ab Ortu
Solis in Occasum, multiplex causa videri
Esse potest. Primo, quoniam convertitur axem
Versa super Tellus, seseque volutat in Ortum
Semper ab Occasu; motus velocior illis
Partibus efficitur, quæ plus a cardine utroque
Distant hinc illinc; Tellurem scilicet ipsam
Qua secat Æquator mediam: quapropter oriri
Partibus his Ventum motu celerante necesse est
Perpetuum, quoniam Tellurem segnior aër
Insequitur; contra videatur proinde moveri
Est opus: ut, celeris Sessores alite cursu
Cum rapiuntur equi, concertantesque repente
Transmittunt campos, fit, uti contraria Venti
Verbera, stet quamvis piger aër, experiantur.
Præterea Solis magno plerique calori
Hunc referunt Ventum: nam, se cum vertat ad ortum
Semper ab occasu Tellus, Phœboque manenti
Occurrat; nunc hac nunc illa, semper ab una
Solem parte videt; cujus calor aëra, cursu
Qui Terræ abripitur, subjectum effringit, & omnem
Diffi-

Dissipat, ut rarusque magis leviorque feratur
Phœbeos subter radios: neu pondere iniquo
Aëris hæc circum moles librata laboret,
Vicinæ partes densæque gravesque, necesse est,
Qua via facta, fluant, aliæque aliæque sequantur
Continuæ ad Solis radios, vacuataque librent.
Propterea Ventus nihil est, nisi percitus aër
Atque fluens partemque a Sole impulsus in unam.
Denique Sol aliis alia ratione videtur
Efficere hunc Ventum, Zonæ qui temperat æstus.
Nam quia Sol radiis recta impendentibus undas
Percutit Oceani, magnamque calore vaporum
Effert vim, rareque facit, quibus anteriorem
Perpetuis agitat, protrudit & aëra plagis;
Idcirco Ventus fit in his regionibus illa
Perpetuus, qua Sol ferri de parte videtur.
Ut magis inspicias fieri quod posse, rubentem
Igne pilam ferri super undas volve, videbis,
Pertenui ut Vento tum protinus aura moveri
Incipiat; nec non pariter quoque parte ab eadem
Unda sequi ferri motum, quam desuper urit.
Proptereaque pari motu se concitat æquor:
Currentesque vocant undas, quas Nauta relinquens
Post tergum Hesperiam, atque Orientis opima revisens
Littora Japoniasque plagas sparsasque Moluccas
Navibus abreptis nimium experietur iniquas.
At, cum prora tuis America obvertitur oris,
Brasiliamque vident stantes in puppe Magistri,
Ipsa sua vi impellit euntes unda carinas.
Hic porro Ventus, recta qui fertur ab ortu,
Ut varie oppositos montes & littora contra
Verberat & scopulos, pariter ratione, necesse est,
Flectatur varia, aut in partes versus easdem,
In latera obliquo vel flamine tendat, & orbes
Interdum in rapidos se torqueat, atque procellis
Sæviat, horrisonoque infestet turbine pontum.
Protinus a causis, quas paulo diximus ante,

Quis jam posse neget Ventos consurgere iisdem,
Undique qui variis oriuntur partibus orbis?
Inter eos tamen, & Ventum, qui frigore Zonam
Temperat ardentem, quidquam discriminis esse
Novimus haud aliud, nisi quod, quæ causa perennem
Hunc facit, hæc alios eadem nunc murmura flantes
Edere dat, sonitum nunc & consopit eorum;
Haud secus ac eadem dat causa perennibus undis
Currere per terras fluvios, contraque protervos
Torrentum finit ire haud longo tempore fluctus.

Præcipua a multis tamen horum causa petenda est,
Exhalat semper quos terra, vaporibus; illi
Per tractus educti occursantesque liquentes
Aëris atque una commixti prœlia pugnasque
Edunt ingentes: fervišcunt omnia circum
Turbata, impulsæ subito expanduntur & auræ,
Atque alias fremitu trudunt grassante cientes.
Prosilit hinc Ventus. Non est tenor unus eidem,
Nam modo pernices violentior incutit alas,
Cum pellunt valido moti fervore vapores;
Post paulo (minor est cum fervor) lenior afflat:
Mox iterum assurgit, variisque assultibus instat,
Donec composita sedentur pace furores.

Dicere nec Ventis quæ sunt data nomina, longum est.
Primus purpurei consurgit cardine cæli
Eurus ab Eoo; Zephyrus ruit æquore contra,
Quo Sol emeritos solvit temone jugales;
At Boreas nivibus stipatus & horridus acri
Frigore ab Arctoa descendit parte nivali
Sithoniisque plagis; media regione diei
Inter nigra Virum percoctaque sæcla coortus
Cum pluviis contra venit & cum nubibus Auster.
Hos inter totidem tibi sunt, & utrinque recedunt
Ad latera; hiberno furit Euro-Auster ab Ortu
Humidus; huic placidas contrarius asperat undas
Caurus; at a Mauris trux advolat Africus oris,
Terrificisque ciet pelagus vexatque procellis,

Ut

Ut trepidi horrescant Nautæ, portusque requirant;
Demum Aquilo medius Boreamque flat inter & Eurum.
Ille peregrinas nobis per tempora ditis
Autumni bruma fert adventante volucres,
Pennigerisque replet late nemora avia sæclis
Et montes & agros: illo me tempore (*a*) Brenum;
Namque hic ante alios ridet locus, accipit omnes
Oblitum curas jam sponte mihique vacantem;
Hic me purpureos fundens Aurora colores
Excitat, & canibus comitatum suadet odoris
In nemus ire vel in montes, volucrumque quietes
Sectari, si qua erumpat subito excita præda:
Namque repente mihi e manibus ci cur evolat ultro
Accipiter, volucremque super sonat ære trementem,
Jamque tenet: capitur suavis mihi præda Coturnix.
Quam juvat hoc fessum sub pondere jamque cadente
Luce redire domum, & Sociis ostendere prædam!
  Sed jam quod superest, hos præter, cætera quæ sunt
Nomina Ventorum, Nautis dicenda relinquo.
  Quidam sunt, certis qui terræ oriuntur in oris.
Ut tantum fœcunda tuos Appulia campos
Notus non alibi comburit Atabulus acri
Frigore, uti Calabrum regionem infestat Iapyx;
Cecropias ut item Sciron contristat Athenas.
Horum causa queunt sublati a Sole vapores
Esse e fluminibus lacubusque marive propinquo;
Qui certas, poscente loci ratione situque,
Protinus in partes æstu impellente ferantur.
  De genere hoc, Ventos extructæ montibus altis
Emittunt quoque sæpe nives, nam frigidus aër
Densatur circum, qui pondere scilicet illo
Nititur in partes, queis multo rarior aura est.
  Magnaque item magnos genuere incendia Ventos

(a) *Rus prope Ragusium cum amœnitate, tum soli fertilitate præ-stans, & aucupio aptissimum.*

Interdum, quoniam circum rareſcit ab igne
Aura, lociſque ideo ſeſe dilatat, & auram
Trudit agens aliamque aliamque; impulſibus iſtis
Ut ſit opus rapidos fieri circum undique Ventos.
Et magis ut certam multorum noſcere poſſis
Ventorum cauſam, manifeſtum hoc percipe porro
Exemplar. Duro conſtans ex ære rotundum
(Æoliam dixere Pilam) vas fiat, & extra
Extendat longo tenuique foramine collum.
Tum facito, incaleat flammis propioribus, intus
Scilicet incluſus rareſcere poſſit ut aër;
Nec mora, frigentes cum collo merge ſub undas,
Intus uti, ſubito quoniam denſabitur aër
Frigore, per collum queat unda replere pilaï
Partem haud exiguam: ſi porro ardentibus illam
Admoveas iterum flammis, vehementer ut intus
Unda caleſcat; erit, ſubito commota vapores
Omnis ut exhalet magnos, qui ſpiritus extra
Dum fugit elabens per collum tenue, neceſſe eſt,
Sibilet erumpens rapidi vis concita Venti;
Evacuetur aqua donec vas omne ſoluta.
Sic etiam Natura cavis e montibus efflat
Sæpe quidem æolias animas, dum murmure magno
Undarum per aperta fugit ſpiracula montis
Halitus, interior quas flamma reſolvit in auras.
Sunt etiam, perflant anni qui tempore certo
Certa loca; ut magnos fluctus concinnat in Indo
Æquore, qui Borean inter flat Ventus & Eurum
Anni tempore eo, quo Sol deflectit ad Auſtrum,
Concalefecit eas & partes igne propinquo.
Idem ubi ſe ad gelidam remeando tranſtulit Arcton
Subjectum radiis dilatans aëra crebris,
Per totam æſtatem Zephyrum ſtrepit inter & Auſtrum
Spiritus exoriens aurarum, atque æquora miſcet.
Sic pariter redeunt quoque Eteſia flabra quotannis
Æſtivum poſt Solſtitium, Grajûmque ſecundis
Demulcent animis regiones; Ioniumque

Per

Per lucem criſpant pelagus: nam condita tota
Nocte ſilent: Thracum vicinis montibus illa
Carpathiiſque jugis, opus eſt, videantur oriri.
  Difficile & porro rationem reddere non eſt,
Eois cur mane plagis plerumque flet aër;
Exoriatur item ſub primas veſperis umbras
Occiduo contra ſurgens de littore Ventus.
Nimirum Solis ſublatos flamma vapores
Disjiciens huc atque illuc dilatat in orbem;
Exorienſque ad nos ideo protrudit ab ortu
Aëra, & occiduo contra de littore labens.
  Perque diem in terras liquido flat ab æquore Ventus;
Propterea, ſalſis quia Sol attollit ab undis
Multos, unde tibi commota fit aura, vapores:
Terrarum tamen hi congeſti montibus altis
In mare prorumpunt noctu; tum frigida in æquor
E terris ferri Ventorum flabra, neceſſe eſt.
  Denique ſæpe ſolet magna impendente procella,
Cum mare cum terras exemto Sole paventes
Contexere cavæ nigra caligine nubes,
Jamque parant pluvias, & inædificata ſuperne
Nubila terribili ſonitu & fulgore minantur,
Sæpe ſolet rapidi tempeſtas concita Venti
Ex improviſo ruere, & turbata repente
Æquora miſcere ex imo, atque attollere fluctus;
Concutere, & vulſis altas inſternere late
Arboribus ſilvas: ita magno turbine ſævit.
Atque ea non alia fieri ratione videtur
Tempeſtas; niſi quod denſatæ deſuper extant
Quæ nubes, celeri deſcendunt pondere deorſum
Protinus imbre graves, conſtrictumque aëra magnis
Viribus huc illuc impellunt: ille repente
Proſilit in latera, & rapido fugit impete fuſus.
Inſequitur porro Ventum gravis imber & uber,
Flumina abundare ut faciat, campoſque natare,
Omnis uti videatur in undas ſolvier æther,
Effuſoque cadens jam terras opprimere imbri.

Sæpius has videas sævire æstate procellas,
Quam bruma, pelagoque magis crebrescere aperto:
Quandoquidem æstivo majores Sole vapores
Tolluntur pelago tantum in sublimia rapti
Interdum, magnæ vix suspiciantur ut auctu
Exiguo nubes: Oculum dixere bovillum
Propterea Nautæ, qui formidabile certant
Effugisse malum subito; namque ilicet illæ
Desuper impete navifrago labuntur, & omne
Involvunt cælum tenebris pelagusque procellis.
Interdum magnis in tempestatibus atra
Turbineas subtus demitti e nube Columnas
Aspicias; siquidem gemini cum flamina Venti
Opposita hinc illinc valida intorsere procella
In mediam se nubem, & compressere furenti
Ad latera incursu, torquent raptamque revolvunt
Vorticis in morem; graviori protinus illa
Pondere se deorsum in terram producit ab alto,
Nec manet; excurrit quo Venti raptat agens vis
Prævalidi, emittitque excussas undique circum
Terribili sonitu sævo de turbine guttas.
Omnia, quo se cumque tulit, prosternit & aufert
Perniciem adportans; correptaque corpora tollens
In sublime rotat; lapidesque & tecta domorum
Abripit interdum: quod si super incidat æquor,
Alte exsorbet aquas, quas fundo commovet imo.
Quin etiam infesto contortas turbine naves
Corripit, & diro lapsuras pondere tollit;
Nil studio ut vitent Nautæ majore per undas,
Nil magis horrescant, votisque avertere certent,
Quam, mare qui rapido, Typhones, vortice miscent.
Nunc age, qua constet natura præditus Ignis,
Percipe: nimirum terrestria corpora possunt
Induere in formam se mobilis Ignis, ubi horum
Corripitur quævis Elemento concita primo
Particula, atque ejus violento in turbine rapta
Innatat. Illo igitur debet producier Ignis

Cor-

Corpore, cum quæ vis Elementa ſecunda viarum
Ex intervallis, intus quæ condita cumque
Sunt, excludit, uti ſint primo tantum Elemento
Pervia; quod partes ejus vi protinus acri
Diſſolvat penetrans, rapidoque repente ſolutas
Impete corripiat, motuque ita raptet eodem.
Ille ſit at primo ſubito ne extinctus in ortu,
Eſt opus, ut ſolidis accenſa ea corpora conſtent
Particulis, magno plagarum ut pondere poſſint
Ictibus & validis Elementa repellere longe
Altera, continuis quæ circum incurſibus inſtant,
Si qua aditus reperire queant ſibi, raraque rurſus
In loca, quæ ingratîs liquere ejecta, reverti;
Atque ita vi multa circum undique conveniendo
Corporis accenſi divulſas impete partes
Comprimere, atque omnes certant ſedare tumultus.
Et quia contritæ paulatim turbine magno
Partes in tenuem demum vaneſcere fumum
Debent, uſque novas nova ſuppeditare neceſſe eſt
Corpora particulas, pereat ne funditus Ignis.
Neve coorta ingens fumi vis opprimat Ignem,
Diſſipat illum aër; ſemper novus ipſe neceſſe eſt
Adſit propterea circum; nam, quo via nulla
Eſt auris, ſi vaſe accenſam lampada claudas,
Exhauſtove auris vacui ſub fornice vitri,
Flamma perit ſubito compreſſa a pondere fumi;
Aëris hinc illam commoti ſpiritus auget,
Avertit nimius ſed ab ipſa pabula ventus.
  Rebus ab his pateſit, cur fiant, Igne videmus
Quæ peragi; nexus admoti corporis omnes
Nimirum qua vi diſſolvat; deinde calenti
Cur ſit natura; a motu quod profluit omne;
Poſtremo lucem cur mittat, & aëra claro
Lumine diffundens circum conveſtiat Ignis:
Scilicet id validis, Elementum hinc inde ſecundum
Queis agitatur, & extra ab eo protruditur Igne,
Eſt opus, ut fiat plagis: nam diximus ante

Lumen in alterius consistere nisu Elementi.
Sursum flamma levis fertur, quia particularum
Corporis accensi vis fortior aëre constat,
Et levior, primo quia raptæ sunt Elemento:
Quare opus est aër deorsum tum proinde prematur,
Illa leves contra sursum eluctetur in auras:
Dum salit, imminui tenui sed acumine debet,
Propterea, quia jam contritæ turbine partes
Corporis haud valida possunt removere prementem
Aëra vi; quare in coni tenuatur acumen.
Utque a contactu gemina undæ gutta liquentis
Jungitur, inque unam pariter coit; ipsa, necesse est,
Sic quoque flamma duplex, cum mutua tangitur, unum
Efficiat conum: medio nam pulsus utramque
Ad latera hinc illinc componens comprimit aër.
Sæpe aliquo videas dissolvi certa liquore
Corpora, vel valido fervescere concita motu,
Multa velut resoluta liquescunt dura metalla
Scilicet, ut fusa calx fervida bullit ab unda.
Tum valet id fieri, tales cum nempe liquoris
Particulæ constant, & talia corporis ejus
Intervalla, liquor recipi non possit ut intra,
Primi materies rapidissima tantum Elementi
Ni comitetur: eo partes dissolvere debet
Protinus ingressu, motuque agitare furenti,
Ferventemque ciere, licet sine luce, calorem.
Sic fœnum in cumulum congestum colligit Ignem,
Cum viride aut humens est, in cineremque solutum
Labitur; & campis sic tetra cadavera apertis
Putrescunt, tristem funduntque calentia odorem;
Fervescit sic & Bacchi liquor atque calescit
Concitus, uva recens si pressa est, plenaque musto
Lymphati Agricolæ fumantia dolia cernunt.
Lucet sæpe diu partes intrinsecus Ignis
Corporis ingressus semel & servatus ibidem.
Sic lapides, queis docta suum Bononia nomen
Indidit inventis, si Solis clara tulere

Spi-

Spicula ſub divo, tenebroſum deinde recepti
In thalamum retinent nec parvo tempore lucem,
Cernentumque oculos claro ſplendore laceſſunt.
Idque vel in terris, animantumque oſſibus, atque
Plantarum cinere, & gemmis tentare licebit
Atque videre, vel in vario quoque ſæpe liquore.
Scilicet epotum Solis flammæque nitorem
Multa diu ſervant: virtus vel in omnibus hæret
Fors ea corporibus; nam latior experiendo,
Inque dies vario per plura extenditur uſu.
Nunc ratio quæ ſit, chalybe ut percuſſa rigenti
Scintillas det dura ſilex, arentibus Ignem
Suſcipere ut foliis ſiccoque in fomite poſſis,
Expediam: fit, eo ex attritu protinus ictæ
Inclinentur uti ſeſe inter mutua paulum
Particulæ ſilicis, ſuaque intervalla viaſque
Propterea claudant extrinſecus, atque ſecunda
Expellant expreſſa foras Elementa repente;
Protinus ut primi ſubtilibus obſideantur
Circum principiis Elementi: tum quia frangi
Divellique ſolent percuſſæ, atque excidere ictu
A ſilice; avulſæ, fit, uti ſeorſumque cadentes,
Quandoquidem a primo ſeptæ undique ſunt Elemento,
Naturam calidi ſubito vertantur in Ignis,
Scintillæque volent tenues. Hæ ſæpe per altas,
Quas manus excuſſit Paſtorum improvida, ſilvas
Paulatim ingenti flamma fulgore coorto
Fulſerunt, & magna dedere incendia vulgo;
Omnia conficerent dum late arbuſta cremantes,
Præſertim validis facere id cogentibus Euris.
Tum ratione pari ſi lignis ligna terantur,
Demum fiet, uti ſcintillis excutiatur
Ignis, & attritu ſaliens levis emicet illo.
Præterea Solis radiis accenditur Ignis;
Exceptos ſpeculi facies ſeu concava cogit
Reflecti, redituque loco conjungier uno;
Corpora convexi ſeu vitri tranſgrediendo

In-

Infringuntur, ut inclinent ſeſe inter; & uno
Poſt coëunt puncto pariter, magnaſque caloris
Multiplicant in eo congreſſu denique vires;
Dura quoque & ſolida ut ſolventes Igne potenti
Corpora conficiant, quæ ſunt ibi cumque locata.
Quo pacto, quamvis Igni contrarius humor,
Accendi valet Ignis aqua, ſi frigore conſtet
Convexam in glaciem conſtricta: ita namque meantes
Infringet radios, & puncto junget in uno.
Noxius idcirco Sol herbis ſæpe refulſit
Poſt pluviam; foliis ubi adhuc pubentibus hæret
Gutta tumens, cecidit nec vento excuſſa movente;
Quandoquidem radii gutta excipiente coacti
Exurunt primo fructus in flore tenellos,
Lactenteſque ardore ſuo populantur ariſtas.
Per vitrum collecta tamen denſataque Lunæ
Lux, qui ſentiri poſſit, non ulla caloris
Unquam ſigna dedit; quoniam tam rara profecto
Pervenit huc ad nos, ut vel conjuncta per artem
Quantumvis, pars fulgoris milleſima vix ſit,
Quo Sol & terras atque aëris imbuit oras.
Illius hinc quantum tribuendum percipe luci,
Quam multi in Terram dominari & in aëra credunt.
  Porro a turbato terreſtria corpora motu
Concipiunt Ignem; pariter velut ante probatum eſt,
Cum ſcrutaremur quæ ſit natura caloris,
Ut memini: a magna quoniam vi particularum,
Quæ perturbata motus ratione cientur,
Expelli excludique ſecunda Elementa neceſſe eſt,
Prima ſubire loco, parteſque accendere raptas.
  Illud rebus ab his porro deducere pergo;
Concipere haud flammam quævis jam corpora poſſe
Atque ardere, licet propiore caleſcere ab Igne
Cuncta queant; velut unda, ſales, terræque dare Igni
Pabula non poſſunt; quoniam non omnia tali
Conſtant natura & congreſſu particularum,
Altera ut hæ poſſint Elementa repellere, primaque
Exci-

Excipere ingreſſu facili, avulſæque cieri:
Sulphuris atque olei naturam ut poſſe videmus
Atque alia, ardeſcunt Igni quæcumque propinquo.
  Propterea & volucres admoto abit ilicet Igne
In flammas, Pyrium, pulvis, quem dicimus a re:
Sulphure conſtat enim & carbonis partibus idem:
Nam ſulphur facile & carbones imbuit Ignis.
Immiſcetur item nitrum, conſtare fatemur
Valde quod rigidis e partibus, exagitantur
Turbine quæ valido, cum flammam ſulphur & una
Mixti concipiunt carbones: viribus illæ
Quælibet idcirco diſrumpunt obvia magnis;
Et faciunt, rapido glans evolet icta volatu
Plumbea de tubulo erumpens: ita namque cruentam
Tranſmittunt hoſtes per mutua vulnera cædem.
Nam neque nunc contis, Latiis neque martia pilis
Præſtat bella geri; minus eſt feritatis in illis.
Aſt ubi ſub tergo terraï clauſa cavatæ
Pulveris illius vis cæco accenditur Igne,
Cuncta repente ruunt magno concuſſa tremore.
Quippe ſuper terram quæ ſunt extructa domorum
Mœniaque & turres & propugnacula ab illo
Turbine corripiuntur, & una avulſa feruntur,
Sternunturque ſuis late confuſa ruinis.
  Pulveris accenſi crepitu & fulgore coruſco
Ars imitata hominum Naturam eſt; deſuper altis
Dirum ſæva micat cum fulguribus, tonitruque
Concutit horriſono cæli fulgentia templa:
Namque opus eſt tantis fabricanda ad Fulmina rebus.
  Multa quidem multos inter ſublata vapores
Nitri materies & ſulphuris alta pererrat
Nubila, quæ denſo conſurgunt agmine ſurſum.
Ergo ubi mole ſua ſuperextans inferiorem
Decidit in nubem nubes cava, tangat ut illam
Ante quidem extremis delabens protinus oris,
Quam regione ſui media; concluſus ibidem
Ventus & a ſupera preſſus gravitate cadentis

Infernam magno perfringens impete subter
Perscindet nubem : crepitum displosa repente
Illa dat, & cæli per cærula commeditatur
Horrendum tonitru, quo tellus æquora vulgo
Concutiuntur; uti metuas, divulsa repente
Maxima dissiliant ne vasti mœnia mundi.
Haud aliter quam cum, si rebus tenuia magnis
Assimilare licet, vesicula parva potentis
Plena animæ Pueri pede pressa repente sub ictu
Rumpitur, & magnum reddit perscissa fragorem.
Utque alio exemplo manifestum id reddere pergam;
Ne lævæ pigeat digitos concludere in orbem;
Ejus uti medium penitus sit inane vacansque.
Tunc latum aut coryli aut cujusvis arboris illos
Fac super extendas folium; cava desuper ictu
Percutiat porro manus altera: namque repente
Cum crepitu folium subter scindetur ob auras
Compressas, quæ vi pugnant erumpere multa.
Sic quoque consimili motus ratione fatendum est,
Quod perterricrepum nubes det scissa fragorem.
  Præterea illapsus quoque nitri & sulphuris intró
Halitus, & rupta luctans de nube repente,
Qua via secta, per angustos exire meatus,
Concitus hoc debet violento denique motu
Accendi, & volucri cæli loca tingere luce.
Hac ratione tibi densa inter nubila fulgit.
Sæpe etiam innubi per noctem fulgere cælo
Vidimus æstivam sonitus terrore sine ullo:
Quandoquidem quos sustulerat Sol luce vapores,
Frigore nocturno densati forte per auras
Accenduntur, uti subitas tum serpere flammas
Huc illuc cælo videamus sæpe sereno.
  Si tamen ille cito violentior halitus exit
Impete, Fulmen erit: nam sulphure prædita constant
Fulmina; declarant ejus quod inusta vapore
Signa notæque graves halantes sulphuris auras.
  Plus, validis quam quæ tormentis missa feruntur,
Mobilitate viget Fulmen; terraque sub ima De-

Deſuper intortum celeri plerumque ſub ictu
Conditur: interdum tamen, ut globus igneus, errans
Curſitat huc illuc vel venti a turbine raptum,
Comburenda trahunt vel quo ſua pabula tractu;
Propterea e terris quoque in altum ſurgere viſum,
In geminoſque etiam hinc atque hinc diffindier ignes
Fœcundum; neque enim ſemper ſupera fit in altis
Nubibus; e terris quæ nos inferna vocamus
Tolluntur. Cave, ne viſo prope territus igne
Protinus effugio ſperes evadere lethum:
Acrius illud enim fugientis terga ſequetur,
Corripietque fuga media, ambuſtumque relinquet:
Nam qua ſe findunt auræ, facile irruit illuc.
Exanimat ſic ſæpe viros, pecudeſque paventes
Sternit humi; neque comparent veſtigia tacti
Corporis interdum, quoniam vel ſulphuris aura
Succenſi præſente afflat perimitque veneno,
Rareſcente repente vel aëre ſuffocantur.
Quapropter tum ſtare loco plerumque timenti
Proderit: at certam non hinc ſperare ſalutem
Te jubeo: magnis nam ſtantia robora ſilvis
Nonnunquam evertit; correptaque ſaxa domorum
Exæquare ſolo, celſas proſternere turres,
Tot monumenta Virûm demoliri ardua viſum eſt.
  Quin violentius ac citius reſtantia quæque
Diſcutit; & validi Fulmen cum frigore ferri
Et rigida lapidum natura ſæpe neceſſe eſt
Confligat victor; celeri ſibi turbine quærit
Dum per dura viam, rapidaque recludit iter vi.
Interdum teneris crebroque foramine raris
(Suſcipere hæc flammas quanquam opportuna videntur)
Corporibus parcit; quoniam ſævire fatendum eſt
Tum debere minus, facilis cum tranſitus extat
Atque patens: loculis quapropter ſæpe reperta eſt
Integris avido conflata pecunia ab igne:
Inſinuatur enim per rara foramina lanæ
Tranſcurrens impune; reſolvit at omnia vincla

Atque omnes auri nodos tenuissimus ignis.
  Edita sæpe tibi infesto loca Fulmine fumant,
Hujus & in celsis vestigia montibus extant.
Non Rhodope vel Athos non alta Ceraunia summas
Inseruere eductum alte caput, inque tulere
In nubes impune; quia illis sulphuris ignem
Marmora scissa jugis halant, evulsaque multo
Fulmine præcipitant immani saxa fragore;
Propterea, quoniam prærupto vertice nubem
Excipiunt montes inserti, ut corporis horum
Offensu in geminas partes distracta dehiscat,
Fulminaque e gremio fundat matura corusco.
His accedit, uti plerumque e nubibus altis
Devolet obliquo vis Fulminis ignea cursu
Desuper ejaculata in terram; ideoque fit altis
Vis ea corporibus prius obvia; proinde superbos
Comminuit montes; & culmina turribus aufert.
  Quin & sancta petit Divûm delubra, suisque
Discutit exurens præclaras ictibus ædes:
Quandoquidem tetra nimborum nocte coorta,
Cum commoliri tempestas Fulmina cœptat,
Sacra diu templis pulsantur in omnibus æra;
Auras quæ circum fremitu resonante repulsas
Discutiunt, agitantque, impendentemque superne
Attenuant nubem, perscinduntque: ilicet illa
Cum tonitru horrisono Fulmen de luce corusca
Mittit, ut id Divûm violento vulnere signa
Delabens confringat, & aris demat honorem.
  Præterea sunt &, Fatuos quos dicimus, ignes.
Hos tacita plerumque videmus nocte, paludes
Cum prope versamur, multisque instrata sepulchris
Cum loca conspicimus celeri pede prætereuntes.
Namque locis tenuis pinguisque accenditur illis
Halitus; ut Manes agrestia corda Virorum
Per noctem e tumulis credant exire sepultos,
Funeraque accensum præferre errantia lumen.
  Fit, decurrentes quoque stellas nocte quieta

Longos

Longos per cælum ut videamus ducere crines:
Quandoquidem placidas noctu ſuccenſa per auras
Flamma ſua inſequitur per cælum pabula labens.
Eſt quoque, quem Veteres Pollucem & Caſtora dicunt,
Ignis, qui magna pelagus turbante procella
Vela per & funes maloque infixus in alto
Apparere ſolet Nautis; qui corda pavore
Perculſi ancipiti & commoti religione
Delapſos in opem credunt ex æthere Divos:
Propterea elatis conſpecta in lumina palmis
Pacem orant votis certantes addere vota,
Vota tamen poſitis obliviſcenda procellis.
Sæpe quoque & flavos Puerorum lambere crines
Ignis, perque jubas tranſcurrere viſus equorum,
Perque Virûm varios fluitare innoxius artus.
Halitus hunc pinguiſqne expirans corpore ſudor
Succendit tenuem ut perfricta in fronte piliſque.
Interdum magnum videas igneſcere cælum
Suda nocte quidem, geminæ qua fulgurat Urſæ
Sidus, & ingentes flammarum volvere tractus
Horribili aſpectu; tanta concuſſa repente
Ut novitate tremant mortalia pectora vulgo,
Ne maria & terras delabens protinus ignis
Corripiat ſuperans, elementaque victa reſolvat:
Ut ſuperaſſe putant, atque omnia cooperuiſſe
Exitio flammas, Juvenem cum Solis equorum
Raptaret Phaetonta rapax vis æthere toto;
Quem Pater omnipotens ira tum percitus acri
Deturbavit equis in terrâm fulminis ictu.
Principio nubes cælum illud denſa recondens
Apparet circum rubicundo lucida limbo;
Proſiliunt porro flammantes inde columnæ;
Horridaque accenſo præbent ſpectacula cælo:
In varias abeunt formas varioſque colores,
Et veluti a ventis huc impelluntur & illuc,
Diſcurruntque: tamen ſunt raro corpore, namque
Sidera per longas translucent undique virgas.

Auro-

Auroram Boreæ multi dixere: ſed illam
Quovis cumque voces tu nomine, dum tibi conſtet
Ejus, quam referam, ratio; tamen ante refelli
Quædam, ne veri ſpecie capiaris, oportet.
  Multi non alia gigni ratione putarunt
Hunc ignem cæli in ſpatio, quam mutua mixtis
Et ſuper accenſis & nitri & ſulphuris una
Halitibus: multos nam frigida terra vapores,
Hoc genus, exhalat; valido qui denique motu
Accenſi Arctoo dant magna incendia cælo.
Verum quiſnam adeo levis halitus aut vapor ullus
(Nempe ut disjunctis terræ a regionibus illo
Flamma ex attritu valeat ſuccenſa videri)
Uſque loci conſcendat eo, tenuiſſimus aër
Quo vix eſſe queat? neque enim reflectitur inde
Noctu Phœbei radiorum luminis ulla
Lux, tenebras quæ vel paulum diſrumpere poſſit.
Hinc etiam ratio tibi eorum falſa, neceſſe eſt,
Jam pateat, radios qui dicunt Solis ab altis
Nubibus exceptos magnæ dare poſſe coruſcam
Flammaï ſpeciem; quoniam eſt innubilus aër,
Si quis is eſt, tantum qui ſe auris tenuibus effert.
  His tibi concuſſis rationibus & labefactis,
Quæ ſupereſt, veræ ſimilem magis accipe, forſan
Et veram, ſi jam, ſupera quæ dicta, tenaci
Mente geris: quidam nimirum hunc ambiat aër
Ut Solem, longa qui cuſpide ſæpe vel ipſam
Seſe ad Tellurem protendit, ſæpe vel ultra.
Ergo ubi Telluris propior jam contigit æſtum,
Major ineſt ubi motus, eo divellitur a ſe
Impete Parrhaſiam partim projectus in Arcton,
Oppoſitum partim, minor eſt ubi motus, in Auſtrum.
Vis ea multa polum ſuper alte cogitur; ad nos
Dum valeat viſi ſubter reflectere Solis
Per noctem radios, cælumque rubentibus illud
Pingere collucens flammis, & vaſta referre,
Quæ paveant Homines, incendia; ſcilicet ignari
In-

Interdum ſpecie rerum colludimur ipſa:
Aut vario inter ſe motu commixta repente
Concipiat flammas & vero fulgeat igne.
Ignis at eſt, multi ſurſum quem vertice aperto
Eructant montes, fumoſque in nubila volvunt:
Ut flammas nigris de faucibus ejicit Ætna
Trinacrius mons; montis uti quoque magna Veſevi
Ora recludit apex, rapidos quibus egerit ignes.
Eſt etiam Arctois in partibus inſula Thule,
Hecla ubi mons patulo facit e cratere voluti
Expirent vaſtis velut e fornacibus ignes.
Nec ratio eſt longis reddenda ambagibus: intus
Subcava ſpeluncis loca ſunt, repletaque multa
Sulphuris & nitri pariterque bituminis extant
Natura; quorum partes ubi concit, & una
Commiſcet rapidi vis intus percita venti
Inter ſaxa furens; fit, ut illo turbine raptæ
Ictibus & validis confligant mutua plagis
Inter ſe, & magnos ſub ea dent nocte tumultus;
Ejectæque foras ingentes denique flammas
Concipiant illo ex conflictu, atque egredientes
Cum ſonitu horrifico referant, ut credere vulgo
Perfacile eſt, illis a montibus oppreſſorum
Pro ſcelere immani pœnas gemituſque Gigantum.
Interdum incendî tantus ſuſtollitur ardor,
Protinus ut nigra cælumque diemque favilla
Involvat flammæ tempeſtas, inque remotas
Diſpergat cinerem terras, manifeſta furoris
Signa, & finitimas horrendo murmure Gentes
Terreat: ejectæ nimbos quoque tollit arenæ,
Ardentumque etiam carbonum corpora jactat,
Raptaque mirando contorquet pondere ſaxa
In cælum; & pavida cernentum pectora cura
Complet, ne moles dehinc cælo flammea labens
Urbibus excidium magnis ferat, atque Colonos
Enecet, & ſilvas lapſo conveſtiat igne.
Hinc ratio tibi terraï quoque Motibus extat.

Terra tremit, clausis cum subter magna cavernis
Vis oritur flammæ succensa sulphuris atque
Nitri materia: nam protinus igne necesse est
Aëra conclusum dilatari impete magno;
Propterea subitis expansus viribus urget,
Et premit obnixus speluncas, atque repellit.
Hac ratione super terræ sola mota vacillant,
Inclinataque jam minitantur mœnia casum,
Sternunturve suis late confusa ruinis.
Quin etiam magni montes finduntur, & alto
Vertice distractos patulo Sol transit hiatu.
Quapropter multis tellus ubi plena cavernis
Constat, & in gremio rupes habet & cava saxa,
Accendi facilis qua sulphuris halitus atque
Conveniat nitri; crebris ea motibus, inquam,
Concutitur tellus: veluti loca sæpe tremiscunt
Montibus ignivomis propiora; ut sæpe prope Ætnam
Trinacriæ magnis subsultant Motibus Urbes;
Ipsaque conspiciens montem vicina Vesevum
Parthenope instabili crebro tellure vacillat.
  Ante tamen magnos, quam fiant, noscere terræ
Concussus, poterisque graves prædicere casus;
Altis inficiat si nidor sulphuris undas
In puteis: namque huc atque illuc halitus imis
Discurrens specubus se in rara foramina terræ
Insinuat, lymphisque suos commiscet odores;
Si quoque terra graves gemitus & murmura reddat.
Hæc tamen, &, genus hoc, quæ sunt permulta Tremoris
Indicia haud constant nobis manifesta, queamus
Ut vitare: etenim perraro contigit ullus
Terrai Motus, prædictus, qui fuit ante:
Sævior est ideo, quia non prævisa mali vis,
Et nec opinantes subito opprimit excita casu.
  Vis ea non magnas Urbes non Oppida tantum
Projicit in terras, sed aperto absorbet hiatu
Interdum, reliqua ut constent vestigia nulla
Tectorum; colles & montes deprimit altos;

Utque

Utque jugis avulſa ruant ingentia ſaxa,
Efficit, & valles exæquent mole profundas;
Efficit, ut notos commutent flumina fontes,
Inque alias migrent terraï orientia partes.
Adde, quod evulſas a terris impete magno
Abſcindat terras, mediumque interſerat æquor.
Adde, novos medio quod tollat in æquore montes;
Quodque ſuperfuſas deſcendat multa ſub undas
Inſula cum totis Cultorum millibus atque
Urbibus egregiis, nec nota appareat uſquam
Amplius in pelagi vaſta regione liquentis.
Uſque adeo Terræ faciem commutat & aufert.
Prætereaque malum non eſt violentius ullum,
Quodque magis ſubitam videatur ſæpe coortum
Extremamque Homines in perniciem revocare.
Nam neque fulmina ſunt adeo metuenda; videmus
Quandoquidem cæli correptos turbine raros
Volvier in rapidis præfixo pectore flammis.
Mortifer aut æſtus non tanta cæde per urbes
Deſævit magnas: nam totam haud tempore puncto
Evertit gentem, nec eodem percutit ictu.
Denique bellorum minus averſanda videtur
Tempeſtas; quoniam clades ſi certa futura eſt,
Non inopina venit; quin, ut vitare queamus,
Non omnis ſemper ratio præcluſa viaï eſt.
Quapropter nihil eſt, terræ quod Motibus extet
E cunctis penitus magis ærumnabile rebus.
Hic Patriæ me caſus & horrida fata Meorum,
Quæque hic quondam uno pariter cecidere ſub ictu
Millia multa, movent, animoque horreſcere cogunt.
Prorſus & oblitum cauſarum excedere certos
Carminis impellunt fines, ultroque dolori
Indulgere meo paulum cinerique Meorum;
Dum, Pueris toties quæ noſtri cumque ſolebant
Cum lacrymis cum ſingultu memorare Parentes
Quondam viſa, libens repeto, atque audita revolvo.
Cernitis everſas, dicebant, undique moles,

O Pueri, disjecta solo congestaque passim
Saxorum in cumulum tot quondam ingentia tecta
Cernitis? en Urbis quondam cognoscite vestræ
Immanem diro prostratæ turbine casum;
Et super his paulum juvet illacrymare ruinis.
Heu Patria, heu quondam Nutrix infausta Tuorum!
Non erat Illyricis florentior omnibus oris
Urbs alia, aut opibus tantum famaque vigebat;
Ubertasque soli multæque frequentia Gentis
Nobilitasque Virûm atque omnes servata per annos
Libertas cælo tollebant fortibus armis
Naturaque loci murorumque objice circum
Defensam a validis vicini incursibus Hostis.
Tot rebus Fortuna bonis invidit, & uno est
Conata excidio res vertere funditus omnes.

Tempus erat, vernis quo primas floribus herbas
Pingebat Natura, diemque ferebat ad Arcton;
Jamque ea lux aderat, casum qua Fata parabant:
Horrentes cælum nebulæ tegere undique visæ,
Imber vicina tenuis de nube pluebat,
Æquoris insueto subsederat unda recessu;
Præterea auditi gemitus sunt edere magnos
Montes: atque cavis alte mugire cavernis.
Ecce tremit moto subsultans cardine tellus;
Nec mora, deficiente solo, jam prodita pessum
Labitur omnis, & immani resoluta ruina
Urbs ima consedit humo: se pulveris ingens
Protinus in cælum nubes agit, atraque lucem
Involvit, noctemque refert. Quæ in turbine tanto
Mens animusque fuit, rerum in vertigine tanta
Deprensis? iterum tellus concussa videtur
Jam trepidare, (animum quoque nunc ita concutit horror)
Sub pedibusque labare solum, ruere ardua tecta
In caput: illa fuit, quæ mens, cum saxa domorum
Alta solutarum pluerent super, imaque tellus
Hisçeret, obrueret fragor aures, lumina caligo,
Effugiumque malo septis urgente ruinæ


Ob-

Obstruerent? Mentem præsens vis ipsa pericli
Subdidit hanc miseris, jamjam omnia victa fragore
Succidere horrisono, terram mare sidera verti.
  Corripuit stupor altus, & omnes abstulit una,
Sopivitque animi sensus formidine tanta,
Ut, quod in adversis fit rebus, tollere palmas
Scilicet in cælum, Superosque exposcere pacem,
Nos neque possemus nostri meminisse, neque ullas
Aut oculis lacrymas aut pectore fundere vota.
At neque, sancta Deûm si templa fuisset adire
Mens nobis, tali in fortuna ut debuit esse,
Usquam inventa forent totam quæsita per Urbem;
Omnia namque solo misere prostrata jacebant
Omnia Templa Theatra Lares & publica tecta
Undique præcipitata immani eversa ruina.
Ante alia illud in his miserandum magnopere unum
Rebus erat, multis plenam modo millibus Urbem
Vidisse & Populo ferventia strata viarum,
Urbis post lacerum simulacrum & nomen inane
Aspicere, & cæcis quod jam serpentia sæcla
Incolerent, sæcla & volucrum nocturna latebris.
At quid, pro Superi! tanta de Gente quid illo
Factum est de Populo? strata jacet Urbe sepultus
Scilicet, atque animas lapidum sub mole sub ipsis
Exhalat tumulis: tantum resonare querelæ
Undique, confusus ferri super æthera clamor.
Quis memoret tantas tam parvo in tempore cædes?
Præcipites Dominos tota cum gente penates
Contexere, suos eversaque Curia Patres
Incubuit super, & Gentem quoque templa Virorum
Sacrificam subita tumularunt versa ruina;
Obtritumque viis circum omnibus undique vulgus
Emoriebatur; nullo discrimine lethi
Corporaque ægra Senum Juvenumque valentia sexus
Fæmineus meliorque Virûm imbellesque Puellæ,
Et Pueri infanda correpti morte peribant.
  At nos reliquiæ Fatorum & cladis acerbæ

Quidnam agere? amissis rebus Patriaque Suisque
Mœrentes alii Divos exposcere mortem
Certabant; alii contra non vulneris ictu
Expertes tamen huc atque illuc vociferantes,
Vitaï nimium cupidi mortem fugitabant,
Et terram effuso signabant sanguinis imbre:
Interdum tamen a tergo velocior instans
Mors veniebat ob exhaustas vel denique vires,
Vel quia murorum deprehensos desuper ingens
Mactabat casus: nonnulli membra trahentes
Post sese lacera & laniatos ictibus artus
Reptabant per saxa, Suosque in opem voçitabant;
Demum opis expertes deserti, ut bucera sæcla,
Tristem exhalantes animam inter saxa cadebant.
Qui fuerant autem juvenili robore freti
Viribus intactis, & amor pietasque Suorum
Queis mœstum desiderio cor fixerat acri,
Ibant huc illuc, evolvebantque ruinas,
Et collapsarum certabant saxa domorum
Eruere, amissam Prolem seniumque Parentum
Cum gemitu & lacrymis & luctisono ululatu
Quærentes sub eis, iterumque iterumque vocantes.
Flamma vorax totam dein ingens orta per Urbem
A consanguineis disjunxit denique mœstos
Corporibus, sanctoque ingratîs, pro fera fata!
Vulsit ab officio. Nostris hoc denique deerat
Ærumnis, Urbis quoque conficeretur ut ipsum
Triste cadaver, & in miseras quoque dira ruinas
Sæviret Fortuna: cremantur corpora passim
Exanimum & pariter Viventum: namque sub ipsis
Lapsi qui domibus vitârant funera lethi,
Sub tignis sub fornicibus sub parjete fracto
Subque cavis circum occlusi obstructique ruinis;
Posterius tamen hos lethi vis corripiebat
Sævior, heu! vivos dissolvens ignibus artus.
Ardebant, collapsa licet, tamen aurea tecta
Aurataeque trabes, veterum monumenta Parentum,

Tem-

Templorum decora, atque antiquæ insignia Gentis.
Quin etiam lapides flamma liquefacta per ipsos
Auri atque argenti vis ingens divitiæque
Manabant rivis ferventibus, atque fluebant
Latronum in prædam; nam protinus undique lapsi
Illi vicinis e montibus adveniebant,
Et collecta domum spolia ampla impune ferebant.
Denique in excidio tanto infandaque ruina
Queis superare datum est, alias pars quærere terras
Exilio, pars ingenti telluris amore
Commoti campis habitare patentibus Urbem
Juxta, & stramineos, Pastorum ut turba, penates
Incolere: e saxis fugiebant namque domorum
Edita tecta metum propter, quia crebra tremores
Mugitusque suos repetebat terra minaces
Ex imo: donec non longo tempore ab ipsis
Surgeret Urbs, Urbisque prior fortuna ruinis.



LIBER QUINTUS.



Uis potis audaces in Solem tollere vultus,
Arduus evecta lucis cum lampade fulget?
Scilicet ipse suo se lumine condit, ut ejus
Fulgoris nequeant acies vim ferre tuentum.
Haud tamen idcirco non rebus in omnibus ipsum
Cernimus, effusa quas irrigat undique luce
Ætheris ex oris, varioque nitore colorum
Imbuit efficiens, ut possint quæque videri.
Apparet certis at multo clarior idem
In rebus; puro velut in lævore liquentum
Undarum, aut speculi cum primum ponitur æquor
Sub divo; siquidem radians fulgore corusco
Redditur extemplo spectantibus ejus imago;
Quamvis hæc oculos feriat quoque perstringatque.
  Non aliter (si fas conferre hæc tenuia magnis)
Ingens dum summi longe Natura recessit
Numinis a nobis, & Majestate sua se
Involvit, lucemque habitat, quæ impervia menti est;
Non minus ipsa quidem præsentem conspicuamque
Se facit in rebus, quas edidit, atque potenti
Suaviter imperio movet: & quid funditus ima
Conditur in terra, quid in alti gurgite ponti est,
Quid cælo in magno, superaque infraque quid usquam,
Non manifesta palam quod ab omni denique parte
Illius immensi referat vestigia Summi?
  Omnia tam variis ast inter prædita formis,
Quidnam majus opus, quidnam sublimius illa,
Undique qua constant cuncta, omniparente profectum
Mente putes, Hominis quam sit natura? videtur
Divinis decorasse hanc dotibus, effigiemque
Hanc finxisse Sui. Quare hinc gradus ultimus extat
Summi ad notitiam, atque hinc redditur ejus imago.

Non-

Nonne Homines igitur Divûm genus? atque utinam omnis
Noſtra feret nobis penitus natura retecta!
Multa latent & adhuc ignota atque invia multa;
Paucaque de multis magno quæſita labore
Edita jam tandem patuere, inventaque conſtant.
Quapropter, quoniam cæli peragravimus oras
Et maris & terræ; poſt longos denique curſus
Ardet ut in Patriam lætus quoque Nauta reverti;
Rebus ab externis itidem nos viſere noſtra, &
In noſmet rediiſſe juvat, noſtrumque minorem
Mole, tamen longe præſtantem cætera, Mundum
Undique luſtrantes animo peragrare ſagaci.
Quare age, quidnam Hominis natura, quid intus agatur,
Percipe, nec credas iſtis promittere velle
Me tibi, nec porro me poſſe exſolvere ſperes
(Quæ neque, ſi centum linguæ ſint, edere poſſim);
Scilicet ut nervos omnes fibraſque minores
Et venas atque oſſa Virûm firmantia corpus
Hic tentem numerare; vel, ut digeſta per artus
Sint, & quam vario fungantur munere, fari.
Tanta quidem ubertas atque harum copia rerum eſt,
Ut prope nulla, velis ſi me tentare, daretur
Finis: item exhorrent peregrina ea nomina Muſæ,
Quæ noſtro varias ſignant in corpore partes.
Illis hæc melius, qui ferro incidere gaudent
Præcincti exanimum corpus, peragenda relinquo.
Noſter erit labor, in nobis quæ multa geruntur,
Dicere, qua fiant ratione, animique miniſtros
Scrutari ſenſus, varioſque evolvere demum
Affectus, quibus & Corpus percellitur & Mens.
Ante tamen qua ſint Hominum mortalia ſæcla
Edita dicendum ratione, atque unde coorta.
Omnia principio quæcumque animalia terras
Concelebrant, genus alituum parvæque Volantes
Vermeſque & pecudes & cætera ſæcla ferarum
Scire licet certo Naturæ e ſemine oriri,
Fœcundiſque ſuis erupta excludier ovis.

Nam

Nam neque fortuitus congressus particularum,
Nec Solis calor atque imbres, nec putrida rerum
Materies ulli dedit unquam exordia vitæ;
Quod falsum ratio, falsum experientia vincit.
Et quis enim certo sine semine nectere partes,
Texereque ullius viventes corporis artus,
Forsne queat? varias valeat diducere venas,
Et teretes nervos atque ossa effingere multa;
Et cerebrum cordisque globum sensusque creare,
Omnia cum certa ratione atque ordine certo?
Ullo præterea putri de corpore nunquam
Aspicies subito prognatos fervere vermes
Exortu; nisi quod susceptum alicunde sit horum
Semen, vel parvis tum forte Volantibus illic
Ejectum, liquidas delatum sive per auras
Aëris; aërias nam tenuia multa per auras
Quolibet a ventis passim correpta feruntur.
Quod magis ut noscas, age, frustum include recentis
In phiala carnis, nullæ penetrare Volantes
Ut possint, avidæque super deponere semen;
Vermibus id cernes haud unquam albescere motis.
Ergo etiam atque etiam certo de semine fiunt
Omnia per terras quæcumque animalia vivunt.
  Seminaque omnigenûm tibi protinus hæc animantum
Condita sunt prima jamdudum ab origine Mundi,
Inclusa in primæ nimirum semine matris:
Quod nulla ratione potest pugnare videri;
In non finitas quoniam tibi corpora partes
Ostensum est multis supera jam posse secari.
  Quapropter multo genitali semine, adhæret
Adfixum certis intra quod partibus apte,
Donavit Natura genus muliebre, sed illa
Lege quidem, per se nullos ut parvula fœtus
Ova queant sterili natura reddere prorsus;
Mascula ni vis & genitalis spiritus auræ
Per Veneris res commôrit; tum protinus ictum
Incipit evolvi, majorique augmine semen

Tur-

Turgere; ac tandem, matura ut poma, refixum
Excidit ex illis, quibus hæſit partibus; arctis,
Inde tubis Falopî, ut dicunt, inſinuatur:
Poſt uterum ſubit: hic veluti radicibus actis
Hæret, & educti nutritur munere ſucci;
Inque dies majus jam membra informat & artus
Oraque; completo tum demum tempore donec
Reddere ſe ſuperas tener infans poſſit in auras.
Scilicet humanæ ſunt hæc exordia vitæ.
Quod ſupereſt, tibi dico Animam Mentemque locatam
In capite, humani velut in regione ſuperna
Corporis: hic etenim Mens cogitat, atque ſagaci
Pollet conſilio, dominanſque hic omnia ſentit;
Et ſolium in molli fixit Regina cerebro;
Unde, velut medio multi de ſtipite rami,
Ingens copia nervorum prodire videtur;
Perque omnes varie diffundi corporis artus.
Sunt igitur, veluti per malos tranſtraque navis
Diſtenſi funes, ita noſtro in corpore nervi;
Pars fortes craſſique fluunt, pars uſque minores,
Pars tenues tenueſque magis ſunt, mutua multi
Diſcreti, multi contra majoribus apti
Connexique tenent commercia certa cerebri,
Unde fluunt, inter ſtationem & cor animantis
Et ſenſus omnes & partes corporis omnes.
Propterea varios, quibus incutiuntur, ad ictus
Rerum nos extra poſitarum, ſive quid intus
Mens jubeat, varias ſubito tendantur, oportet,
In partes; valeant ut certa impellere juſſo
Motu membra, ſuiſque agitent impulſibus artus.
Adde, quod & mira referunt ratione cerebro,
Quidquid id eſt, noſtris quod rerum ſenſibus offert
Se præſto; fidique velut, cita turba, miniſtri
Efficiunt, de rebus uti bene conſcia conſtet
Mens alienigenis, & quali comta figura
Corpora circumſtent & quali prædita motu.
Quoque tibi magis hæc pateant, manifeſtaque conſtent;

Una

Una de parti nervorum extrema, neceſſe eſt,
Concipias noſtris finire in ſenſibus extra
Auribus atque oculis & lingua & naribus ipſis,
Nec non multiplex per iter ſe in corporis omnes
Inſinuare artus, ut demum in tenuia fila
Diſtracti extremis contingant partibus omnem
Circum-cæſuram membrorum, ſeque revolvant
Undique, qua cutis eſt, & ſenſus vividus extat.
Utque vides, tenſum cum parte adducimus una
Funem per trochleas per tympana celſa volutum
Quantumvis, aliam quoque puncto tempore partem
Conſentire vides, inquam, motuque cieri;
Conſimili ratione cutem cum tangimus ipſam
Corporis humani nervorum extremaque fila,
Protinus ille idem motus ſe viſque propagat
In cerebrum, Mentemque ciet, rerumque ſuarum
Admonet afficiens; illa omnia perſentiſcit.
Multi præterea, quibus hæc minus apta movendum
Arridet ratio ad corpus ſenſuſque ciendos,
Concipiunt ſuper in nobis quendam eſſe vaporem
Naturæ perquam tenuis perquamque minutæ &
Mobilis egregie, venti eſt ut cæca poteſtas,
Illum & ſanguineis progignier ex elementis:
Namque ubi multiplices iterumque iterumque cerebri
Trajicit anfractus ſanguis jam purior, atque
Difficiles init uſque vias varieque retortas,
Inſinuatque locis arctis ſeſe inque peditis,
Eſt opus, ut rarus tandem tenuiſque citusque
Prodeat auraï vapor ille & ſpiritus: inde
Omnia mobilitantur, & acri vivida conſtant
Senſu: namque, velut curſor, quocumque jubetur,
It, redit; & longis excurrens undique nervis
Quoslibet in motum ſubita vi concitat artus;
Et rerum externis vel molliter exagitatus
A plagis properat regionem præcipitanter
Corporis in ſummam, & Reginæ nuncius adſtat,
Nulla mora eſt, Menti; mollique ea cuncta cerebro

Impri-

Imprimit, & ſignis demonſtrat ſingula certis.
Quo confuſa minus ſunt hæc veſtigia rerum,
Et majora locis alteque infixa, neceſſe eſt,
Clarius ac melius Mens evigilata repente
Percipiat, rebuſque magis moveatur ab illis.
Et quia non Homines diverſas diſſimileſque
Sortiti mentes ulla ratione videri
Poſſunt, haſque pares, par eſt, fateare creatas;
Et tamen inter ſe longe diſtare tuemur
Moribus ingenio, debent variare videri
Corpore pro vario fibræque & molle cerebrum
Et vapor aurarum; qui cum de ſanguine conſtet,
Quæ poterit noſtri naturam cauſa cruoris
Afficere, ut cibus eſt atque aër frigus & æſtus
Atque alia e genere hoc; ſimili ratione valebit
Hoc agere in noſtros eadem quoque cauſa vapores.
Subtiles aliis mage ſunt & mobiliores
Propterea, aſt aliis craſſa torpedine pigri.
Quapropter Gentes opus eſt diſtare remotas
Tam ſpatiis terræ, quam moribus ingenioque.
Acris Athenæis in Gentibus eſt Hominum Mens,
At Lacedæmoniis ea pinguis craſſaque terris;
Pinguis item Arctois in finibus atque remotis
Urbibus a pelagi longe pulſantibus undis.
At plerumque tamen vi pollent mentis & acris
Conſilii multo loca fervida ſole colentes,
Vel loca, qua ſalſo ſpumant liquida æquora fluctu:
Quandoquidem ſalis & magni natura caloris
Mobilitat tenues purgati ſanguinis auras,
Et facit, uſque magis raræque leveſque ferantur.
Aſt hinc a varia ne quis regione locique
Natura atque ipſis elementis denique tantum
Æſtimet ingenia; o quoties quoque Principis artes
Et ſtudia & leges, armorum & Martius uſus
Conſilia ipſa ſolent mutare & vertere mentes.
Fertilis Ægyptus præclaris Grajaque quondam
Floruit ingeniis tellus, ut Barbarus eſſet,

Qui non cretus ea tantum regione fuiſſet,
Phœbus quam & Divæ Permeſides incoluere.
Poſtquam autem multis Solis redeuntibus annis
Mutata imperia & mores & jura, repente
Barbara non Scythica terra minus utraque facta eſt.
At nunc ipſa etiam ſub ſidere frigida tellus
Arctoo paſſim doctas amplectitur artes;
Excepere foventque olim vix nota Britanni
Nomina: pro! quanto fervore exculta Virorum
Ingenia emicuere antiquis æmula Grajis.
Molles præterea Pueris creſcentibus artus,
Et molles pariter fibræ ſunt; progrediente
Oſſa tamen nervique ſimul firmantur ab ævo;
Denique dureſcunt ſenio, longeque tenaces
Et rigidi reſtant; quapropter mollior ætas
Effigies rerum facili ratione receptat;
Et facili pariter, niſi tum vapor egerit auræ
Altius impreſſas, jactura amittit eaſdem;
Excepit porro cum quæ ſimulacra Virûm mens,
Firma diu perſtant, fibriſque manentibus hærent.
Poſtremo vix ulla Senes veſtigia cani
Percepiſſe queunt rerum nova; proptereaque,
Quandoquidem fibris antiqua tenacibus hærent
Indelebiliter, reminiſci præteritorum
Poſſunt; hinc toties viſa olim & geſta recenſent.
Sæpe quidem memores ſimul immemoreſque videbis
Deſipere uſque adeo, Natos ut lumine caſſos,
Viventes veluti, vocitent, & abeſſe querantur,
Obliti functos, memores vixiſſe, ſalutent
Exanimes etiam poſt fata recentia Amicos.
Mens etenim actarum reminiſcitur excita rerum
Propterea, quia, cum veſtigia plurima ſervet
Illarum, in facili veluti depicta cerebro;
Excurrat ſi forte per hæc levis halitus auræ,
Et ſimili moveat fibras ratione, movebant
Ac ea, quæ ſimulacra ſui liquere, neceſſe eſt,
Mens ratione pari ſubito commota recurrat

Olim

Olim ad gesta memor, quorum vestigia tangit
Auraï vapor excurrens: simul ipse propinquas
Funditur in cerebri sedes, variosque recessus
Ingreditur levis, atque animam per singula ducit.
Sic fit, ut e rebus varias Mens transeat in res
Paulatim, sensu si non percellitur extra;
Atque ita se pascens simulacris tempora fallat.
Corporis in quasvis si sæpe excurrere partes
Suetus erit perquam subtilis spiritus auræ,
Majoresque vias majora recluserit illo
Intervalla sibi cursu, fateare, necesse est,
Inde fore, ut facili tractentur multa labore.
Organicosne vides per chordas ire sonantes
Mobilibus digitis? num motus dirigit horum
Mens omnes? at Mens alio conversa vagatur.
Scilicet aura fluens intus motique vapores
Impellunt digitos certo cum tempore, certa
Cum ratione, velut quoque fuerant ante; sequuntur
Impulsum digiti, chordisque loquentibus errant.
Intermissa diu tamen & desueta per annos
Sint opera, ut sensim non excurrentibus auris
Occlusumque illis iter obstructique meatus
Reddantur; tunc aut prorsus sublata facultas
Illa erit, aut fiet longe minor inque minuta.
Haud secus ac silvam per densam, ubi plurima late
Virgulta & frutices dumique arbustaque surgunt,
Si fera vel torrens vel acuta falce Viator
Rumpat iter gradiens, partem inclinabit in unam
Obstantes ramos, herbasque rubosque reflectet,
Signabitque viam, facile ut post transeat illac;
Hæc intermisso donec deleta meatu
Densatis fuerit longo post tempore ramis.
Nonne vides etiam, quam pernix lingua citatos
Sese agat in motus, ut se pro parte figurent
Labra, foras recto dum verba emittimus ore?
At neque jam numeros nec tempora certa morasque
Dædala perdidicit cum labris lingua, queamus

Ut miſſam articulis vocem diſtinguere certis.
Nimirum cum nos pulmonibus aëra plenis
Tracheæ ejicimus per ductum (ita nominitatur
Fiſtula, membrana quæ conſtat & aſpera multis
Annellis, magis atque magis quam poſſe fatendum eſt
Faucibus arctari ſummis contraque recludi,
Ut per inæqualem fugiens e pectore ventus
Proinde viam, ſonitus non æquos edere poſſit,
Sed, quoſcumque libet, majores atque minores),
Protinus ille vapor tenuis per juſſa viarum
Intervalla fluens linguam perniciter atque
Labra movet certa ratione, inflectier aër
Ut poſſit fugiens, & reddere verba ſonoſque
Diſtinctos numeris varie ſpatiiſque morarum.
Præterea ratione pari proferre videbis,
Cum volumus, nos poſſe pedes & membra movere.
Id faciunt nervi, varie cum deſuper alta
Tenduntur, Mens ut jubet, e regione cerebri:
Non ſecus ac magnam ventoſa per æquora tenſis
Funibus & clavo ſtans celſa in puppe Magiſter
Contorquet, facilique regit molimine navim.
Id quoque item facili potes hoc comprendere pacto:
Nempe Animus ferit extemplo, quæ in corpore noſtro
Didita vis animæ eſt, patefacta foramina pernix
Protinus illa ſubit membrorum, & commovet artus:
Nam recipit motum, qui parvo a mure vocatur,
Muſculus; ejus enim ſimilem gerit ipſe figuram;
Ventre tumet quoniam medio, quem faſcibus una
Componunt fibræ congeſtis; ultima tenuem
Deſinere in caudam veluti protenſa videntur.
Ergo ubi ſe medias ſubitus vapor inſinuavit
In fibras illapſus, & auris craſſior illis
Intumuit venter; ſe contrahet ipſe repente
Muſculus, & motu, quibus hæret, membra plicabit;
Aſt ubi diffugient auræ, ſubito evacuatus
Protendet ſeſe, pariter protendet & artus.
Scilicet hæc fieri, cum Mens jubet ipſa, videmus.

Ne tamen hinc credas, quod motus cauſa Voluntas
Noſtra ſit in nobis; quanquam illi membra movere
Cum libuit quæcumque, moverier illa videmus.
Novit an ipſa ſuus qui ſit modus artubus? auras
Qua cieat plaga, quo dirigat, atque reducat?
An numerat nervos, an fibras texuit omnes?
Corporis ipſa ſui demum primordia quæ ſint,
An videt? & quæ ſint parti loca cuique quis ordo?
Ergone tantarum poterit Mens inſcia rerum
Tam facile & ſubito tam certa lege movere,
Cum libuit, corpus? Quapropter oportet, ut Auctor
(Nam nihil eſt aliud, cui poſſis ipſe referre
Quodcumque eſt) Auctor rerum, quique unica Cauſa eſt,
Ipſe det, ipſe regat motus, cum membra movere
Mens avet: hoc voluit ſancitas poſcere leges,
Illius ad nutum cieantur ut ilicet artus.
  Nunc qua re vigiles diſtent ſomnoque jacentes,
Accipe. Tunc equidem vigilamus, multa vaporum
Copia cum levium perniciter exagitatur,
Et nervos fibraſque rigat tenditque cerebri,
Et facit, externos commercia pervia conſtent
In ſenſus, multiſque vacet Mens percita rebus.
Firma magis tum membra vigent artuſque valentes
Corporaque ad magnos operum magis apta labores.
  Debile fit corpus, cum multo humore tenetur
Spiritus hic, vel adhuc vis eſt ea cruda vaporum,
Multave per liquidas extra diſpergitur auras.
Laxatis etenim toto tum corpore fibris
Palpebræ poplitesque cadunt & languida membra.
Quapropter Somnus fit, ubi religatur hic auræ
Spiritus exortis perſæpe humoribus, extra
Sive animæ vis hæc partim diſperſa receſſit:
Diſſolvuntur enim tum demum tenuia fila
Fibrarum, nervique fluunt; nec proinde putandum eſt,
Mentem alienigenis jam rebus poſſe moveri
Per ſenſus; quoniam laxatis undique nervis
Cum cerebri regione manent commercia nulla

Sensibus, ut suetas nequeant transmittere rerum
Illuc effigies, neque fibras mobilitare.
Propterea multo Sopor ille gravissimus extat,
Quem capias magno confectus membra labore,
Herbarumve satur, quas longa oblivia dicunt
Ferre; quia hæ celeres religant retinentque vapores;
At labor hos membris expellit, & ejicit extra.
Aspice, fortuita resoluta sub arbore membra
Quam subito facilis Sopor irriget Agricolarum,
Qui durum imperium vertendæ vomere terræ
Luce exercebant tota; cum sæpe rubenti
Interea insomnes noctem jactentur in ostro,
Latrantesque canes & raræ murmura vocis
Nequidquam culpent Reges rerumque Potentes.
Si perturbatis agitentur motibus auræ,
Irrequietaque vis cerebro discurrat earum,
Lethæa, ut dicunt, nonexorabilis unda
Haud oculos sparget Somnus, vigilesque videbunt
Luciferum redeuntem illi. Vix denique primam
Quod si jactatos sub lucem vinciet artus,
Membraque corripiet leviter Sopor; ecce repente
Dira catervatim conturbant somnia Mentem
Ignotas facies simulacraque mira tuentem.
Somnia enim fiunt, cum incertis motibus aura
Per cerebrum excurrens varie vestigia rerum
Commovet, & multa colludit imaginis umbra:
Nam neque tunc omnes levis iste resolvere Somnus
Quit cerebri fibras, agilem neque sæpe tenere
Auræ animam, excurrens varios quin concitet artus.
Propterea multi per Somnum brachia tendunt,
Et jactant cum voce manus; tum sæpe loquuntur
Magnis de rebus; proprii quoque sæpe dedere
Criminis indicium, celataque facta tulere
In medium: multi de molli membra cubili
Corripiunt subito, atque amentes tecta pererrant;
Donec turbato concussi corporis æstu
Vix ad se redeant: ita concitat aura vaporum.

Dul-

Dulcibus exactis Somni expergiſcitur horis
Denique Mens, in ſeque redit, de ſanguine puro
Suppeditatus ubi eſt purgatæ ſpiritus auræ
Multus, & intendit nervos, fibraſque rigavit,
Et proinde in ſenſus commercia reddidit omnes.
Tunc hilares ad opus conſurgimus, atque receptis
Viribus ad magnos properamus ſponte labores.
A perturbato motu horum ſæpe vaporum
Exoritur capitis morbus, quo cuncta videmus
Ante oculos nobis verti, terramque rotari
Sub pedibus, pariterque uno nos turbine ferri:
Tum cadere in terram nullo retinente neceſſe eſt.
Sponte vides Pueros facere id plerumque, per orbes
Dum ſe multiplices vertunt: ſimul ipſa videtur
Ire domus circum & circum atria verſa moveri
Stare quidem immoti tanta in vertigine rerum
Non poſſunt, terræque petunt ſola proinde cadentes.
Tum quoque pallenti multos languore videmus
Deficere, exangui cum corpore collabefiunt
Omnia membra, velut mortis prope limen ad ipſum:
Aurarum retinetur enim vis, ejiciturque
Multa foras, membriſque ſuum torpente vigorem
Suppeditare nequit motu vireſque per artus.
Si tum per nares vini ſeſe inſinuet flos
Atque odor in mollis penetralia ſumma cerebri;
Excita vi multa tenuiſque agitata repente
Aura animæ movet excurſu labefacta citato
Membra ruens, redditque valentes corporis artus;
Haud ſecus ac fuſo moriens recreatur olivo:
Flamma novo nigram diſpergens lumine noctem.
Cui nova vis cerebro vel morbo ſæpe coorta
Vel cauſa quavis alia veſtigia nota
Turbavit, penituſque graves alteque profundas
Impreſſit ſine lege notas, Veſania fiet.
Protinus inſolitis tenduntur viribus artus,
Turgeſcunt nervi, ferveſcunt ſanguine venæ;
Suffuſi vigilant oculi, ſine mente ſonat vox,

Membra agitantur, & inconstanter concutiuntur;
Impos Mens animi res volvere cogitur illas,
Quæ jam alte insedere: suorum verba Parentum
Verbaque Amicorum non percipit, omnia turbat,
Respondet quæ non illi petiere, profatur,
Quæ capiat nemo, quæ nulli visa, tuetur,
Seque Deum Regemve putat Puerumve Deorum
Aut aliud quid, quod sanam vix forsitan unquam
Incidat in mentem: turbatæ vis animaï,
Cum cerebrum mentemque ferit cum corpore, tanta est.
Præterea, quoniam constamus corpore, motu
Quod facile atteritur, quod multis undique circum
Afficitur plagis, sua detrimenta, necesse est,
Sæpe cibo reparet, vitam ut producere possit.
Proinde cibus capitur; quem primo dente molari
Fractum & contritum simul humentemque saliva
Reddimus æsophago (perhibent hoc nomine Graji):
Hic tubus est, qui se vicibus dilatat, & idem
Contrahit alternis: motu hoc potumque cibumque
In stomachum transfert: humorem ubi ponere multi
Fermentum veluti quoddam voluere, quod omnem
Dissolvat rodens paulatim, & concoquat escam.
Proinde Fames oritur, stomacho cum nulla vacante
Pabula sunt; quoniam membranam vellicat ejus
Tum liquor, & sensu Mentem ciet ille molesto:
Res ea latrantis stomachi acres excitat iras.
At Sitis est, ejus fibris arentibus arent
Cum pariter fauces: penitus quapropter inertes
Languescunt: Animam sensus proin afficit æger:
Hinc ingens desiderium consurgit aquarum.
Excipere ore velint sitientes flumina aperto.
Ergo, velut doceo, variarum pabula rerum
Immissa in stomachum penetrans liquor undique rodit;
Seque, facit, vertant diffutaque disque soluta
Protinus albentem in succum longeque liquori
Consimilem lactis. Quibus id tamen esse videtur

Fer-

Fermenti genus in nobis merito inficiandum,
A motu repetunt omnem rem, viscera semper
Quo concussa terunt epulas, & mollia reddunt.
Pabula, quo pariter lacerantur inania motu:
Inde Famis faciunt sensum; inde alimenta resolvunt
Albentem in succum, qui venas lactis, ut ajunt,
Ingreditur, variis tum ductibus insinuatur
Insiliens, donec rubro cum sanguine mixtus
In Cor, quod medii regione in pectoris hæret,
Perveniat: totos hinc diditur omnis in artus;
Multarum diversa per intervalla viarum
Transmeat, & fibris subtiliter insinuatus
Extremis hærescit, & illas auget inhærens,
Atque affixus alit partes: sic damna perenni,
Ut vigeat corpus, reparanda perennia succo.
Et quia cum rubro permixtus Sanguine totas
Corporis in partes transfertur succus, oportet,
Perpetuo intra nos motus Cruor usque feratur
Circuitu; fieri quod ea ratione fatendum.
E Vena, quæ dicta Cava est, irrumpit inundans
In Cor, quod medio vibratur pectore, Sanguis;
Tum patefactum illud distenditur, atque recepta
Sanguinis in sese fit multo latius unda:
Contrahitur porro, rubicundumque exprimit ipsos
Rorem in pulmones; ille undique fusus eorum
Per caulas teritur magis, interiusque recenti
Miscetur succo, nimium qui mobilis exit
Illo ex attritu partique subactus in omni.
Inde locum cedit venientibus aëris auris,
Quas velut in folles inducimus ore ruentes
Latius in pectus: patefacti cordis hiatum
Ex alia tum parte subit Cruor, hospitiumque
Post breve contracta discedit sede, fugitque
Protinus ejectum. Motus hos Cordis, ut ipsum
Alternis sese dilatat, contrahiturque,
Non intermisso vibrata Arteria pulsu

Significat nobis: ſiquidem dum Sanguis ab illo
Ejicitur, magnam vi multa complet Aortam,
Ut vocitant; quæ truncus uti ſe corporis omnes
Undique diſtenſis ramis diffundit in artus,
Queis Cruor illapſus partes citus irrigat omnes:
Inde redit tenues per venas, inque Cavam ſe
Exonerat rurſus parti conlectus ab omni,
Ut rivi in fluvium, rurſuſque revertitur in cor.
Quod ſupereſt, Senſus, age, delabamur ab ipſos.
Conſtituit Senſus Animæ Natura miniſtros,
Cuſtodeſque velut pro corporis arce tuenda
Eſſe dedit; per eos quoniam Mens judicat, extra
Quæ ſunt in rebus, quæ dira inimicaque nobis
Perniciem intentant, ut ferrea cuſpis ut ignes
Præcipiteſque loci fugiendaque cætera quæ ſunt.
Novit item per eos contraria, quæque ſequi nos
Poſſimus, corpuſque juvent, & convenienti
Afficiant motu. Non eſt ſed credere non eſt
Propterea, quales extant, res ſenſibus ipſis
Agnoſci; namque ut variare tuemur eoſdem
Interdum; ſic res, opus eſt, varianter eaſdem
Percipiant Senſus vario pro tempore. Sano
Sæpe mihi cibus eſt ſuavis; fit amarus at idem,
Æger ſi jaceam; quoniam textura palati eſt
Tum varia in nobis; quin & quod dulce palato
Eſt aliis, fugiunt multi, velut acre venenum.
Diſſimiles ut enim longe diſtare videmus
Inter ſeſe Homines extrinſecus; oribus ora
Nam ſi conveniant & partes partibus omnes,
Pro, quam incerta forent confuſis omnia formis!
Ergo ut diſſimiles ſumus, inquam, extrinſecus ipſi,
Quare diſſimiles pariter non ſimus & intra?
Non ſit diſſimile in nobis, ut multa, palatum?
Transfer id ad Senſus alios quoque, transfer ad ipſos,
Quos reliquis præfers, Oculos: diſtare fatendum eſt
Ipſa etiam inter ſe textura lumina; multi

Quan-

Quandoquidem aſpiciunt res longius, inque tuentur
Clarius ac alii: ſimili ratione colores,
Quos uno pariter vocitamus nomine, ut atros
Aut ferrugineos virides quoque cæruleoſque,
Si dicam ſimiles, quos tu te percipis intra
Aſpiciens, non eſſe meis; fallîne repente
Arguar, atque errans veluti ignoranſque refellar?
Nimirum hæc Oculis cum non videamus eiſdem,
Sed qui diſſimili textura forſitan intus
Sunt, opus eſt etiam non una percipiamus,
Quos ſimul intuimur, rerum ratione colores.
Quin ſunt qui videant rubicundam lumine dextro
Corporis unius faciem viridemque ſiniſtro.
Sunt qui uno majora minorave corpora coram,
Quam cernant alio. Quapropter nonne fatendum eſt
Res etiam a nobis varia fors mole videri?
Quis ſcit, an hunc montem, quem ſummis dicimus ambo
Nubila ferre jugis & cæli tangere templa,
Quis ſcit, an æquali videas tu tollier auctu,
Ac ego? communis nulla eſt menſura, queamus
Cui conferre; pari ſiquidem non illa videri
Mole utrique poteſt, illam cum cernimus ambo.
Quare hunc, ſi quis ineſt, errorem haud poſſumus unquam
Detegere, aut ullis manifeſtum reddere verbis:
Quandoquidem rerum de mole haud judicat ulla
Mens ratione, aliis referens niſi rebus, ut illas
Majores dicat collatis ſive minores
Sive pares; neque ſic referendo fallimur hilum.
Denique non Senſus nobis largita videtur
Natura, ut Veri per Senſus exoriantur
Notitiæ, atque fides ſit Senſibus omnis habenda:
(Hæ ſunt Mentis enim partes, ut diximus ante)
Illis ſed tantum ſervando in corpore ut uti
Poſſemus; quoniam, quidquid noceatve juvetve,
Nos facili ratione monent, Animumque repente
Concutiunt, ut res poſſit vitare ſequive:
Quod niſi per Senſus, fieri non poſſet, opinor.

Nam ſi rem Ratio ſine Senſu expenderet omnem,
Conveniat nobis an contra; nonne videmus,
Id quam difficile & quam magna non ſine noxa
Corporis efficeret? contra cum cæditur ictu,
Aut cum forte manus propiore exuritur igne,
Nonne vides, intus Senſus vis illa moleſti
Vivida quam ſubito Mentem ciet, atque dolore
Admonet eſſe malam ſibi rem: ſubito excita magnam
Illa adhibet curam, tam diram vitet ut ægri
Corporis ærumnam: fieri num poſſet id ipſum
Tam facili pacto tam promte, ſi ſine Senſu
Mens ſola ratione malum cognoſceret intus?
Et licet hic Senſus videatur fallere mentis
Propter opinatus, quos addimus, inde dolorem
Non animæ, verum eſſe manus dum credimus illum;
Attamen hunc ipſum ſervandi corporis ergo
Protinus errorem nobis juvat inſinuari:
Tunc etenim properamus eam, quæ cæditur, igne
Sive calet propiore, manum removere perîclo.
Hoc igitur Senſus fungantur munere tantum,
Corporis incolumem ſervent ut denique molem:
Hac neque re, ſani ſi conſtent, fallere poſſunt.
Cætera, ſi falli renuis, ne quære per illos:
Oſtendunt neque enim res nobis, qualis earum
Natura eſt; verum ad nos ut referantur eædem.
Sic, cum Nauta ratem ſcopuloſa ad littora vertens
Undas demiſſo pertentat fune profundas,
Ne puppim ad cautes ſcopulorum illidat opertas;
Ille quidem, quantum fundum ſuper ipſa carina
Innatet, & cœcum, ſi ſit, docet eſſe perîclum.
Aſt ubi ſe pelago puppis dedit, Oceanique
Sulcat adunca vias; imum contingere fundum
Quamvis interdum demiſſo pondere funis
Non valeat, quantum nec aquæ ſignare profundæ
Sit ſpatium; tamen a ſcopulis & ſyrtibus æquor
Id tutum docet eſſe, quod unum noſcere refert.
Eja age nunc, Senſus quo pacto quiſque ſua re

Affi-

Afficiatur, habe. Primo non ſedibus unis
Ipſe nec in certis Tactus regionibus hæret:
Undique Tactus enim totos in corporis artus
Diditur, & ſenſus in ſe uno continet omnes:
Omnis enim ſenſus Tactu fit: dicimus illum
Præcipue tamen (atque iſta ſecernimus in re)
Quid calor & frigus, ſentire, & mollia quæ ſint
Duraque, quid ſiccum quid contra conſtet, & humens,
Atque ubi ſit multum lævoris & aſperitatis;
Cæteraque e genere hoc per Tactum concita ſentit
Mens; & id hac fieri certa ratione probandum.

Extima per totos late diffunditur artus
Texta cutis fibris de tenuibus inque plicatis
Nervorum veluti ramis ſubtilibus: ergo
Nervorum hos fines ſi quæ res impulit extra,
Protinus ad cerebrum motus defertur, ut illis
Res alienigenas Mens ſentiat excita plagis,
Atque ad eas referat partes & membra, moveri
Unde ſcit: idcirco progigni in partibus illis
Senſus, ut in manibus tergove aut crure videtur.

Partibus at multo magis illis vividus extat
Tactus, plura cutem fibrarum ubi tenuia fila
Intexunt; veluti manus eſt qua concava parti;
Inque pedum plantis ſimili ratione cientur
Senſiferi motus, cita Mens ſentiſcat ut illos;
Nec non membranis oculorum in tenuibus: Intus
Obtuſo conſtant at contra viſcera ſenſu
Humida cum madidis pariter pulmonibus; humor
Quandoquidem laxat fibras, ictuſque madore
Debilitat; ſenſus motu languente cietur
Propterea, pertingat uti vix plaga cerebrum.

Hoc etiam in nobis pacto dolor atque voluptas
Gignitur: hic geminus quanquam pugnare videtur
Senſus, ut in mente eſt, atque in contraria ferri:
Namque dolor Mentem facit ægram, hilaremque voluptas:
Attamen haud prima diſtant in origine multum
Inter ſe; prope enim cauſis oriuntur ab iſdem.

Nam-

Namque cutis tenuis textus cum tangitur extra,
Atque cietur; erit cauſa hinc utriuſque, doloris
Atque voluptatis: nam ſi quid molliter ipſam
Contingat, placideque cutem titillet, oriri
Hinc opus eſt ſuavem per membra vigentia ſenſum;
Blandaque perfundet Mentem corpuſque voluptas.
Aſt ubi quid molles violentius impulit artus,
Impreſſitque graves ictus, fibraſque retexens
Diſſuit, & cerebrum vi motus perculit acri;
Turbatur pariter ſenſu Mens ægra moleſto,
Triſtis & ingenti percellitur icta dolore.
Si manus in pugna permixta cæde calenti
Abſciſſa a trunco cui decidat, atque trementes
Jam per humum digitos agitet moribunda, queretur
In digitis tamen atque manu ſentire dolorem
Truncatus, parti velut ac foret integer illa.
Credere, ſi neſcis rationem, forte recuſes;
Crede tamen, quoniam id ratio quoque vincere debet:
Per fibras etenim cerebri e regione fluentes,
Queis & trunca manus conſtabat, fertur ab illo
Vulnere ſupremas Animaï impreſſus ad oras
Vehemens motus; uti Mens acri percita ſenſu
Vim partes ad eas referat dirumque dolorem,
A queis commotæ diduntur vulnere fibræ,
Commotæ haud aliter, quam ſi manus adſit: oportet
Quapropter, dolor in digitis videatur & ipſa,
Quæ trunco eſt avulſa, manu, longeque relicta.
Nunc qui fiat, ut hac vita defuncta relictis
Corporis exuviis Animæ vis igne cremetur,
Sentiat & dirum miſere combuſta calorem,
(Supplicia hæc etenim ſæva atque infanda manere
Credendum eſt Animas poſt ultima funera ſontes)
Percipe. Nunc veluti, dum Mens cum corpore juncta eſt,
Immiſſum haud alia ſentit ratione dolorem
Per corpus, quam quod, dum corpus tunditur extra
Aut laceratur, ea ingenti tum protinus intus
Obruta triſtitia curis turbetur amaris:

In-

Inter utrumque etenim corpuſque Animumque viciſſim
Fœderis hæc lex eſt ſancita, ut diximus ante.
Cur ita non igitur, cum Mens ſine corpore conſtat,
Numinis ultricem quoque diſpoſuiſſe putemus
Juſtitiam, ut nigris Erebi damnata cavernis
Mens triſtes agitet curas, perquamque moleſto
Tartareæ ad motum flammaï conficiatur
Infandi ſenſu veluti combuſta doloris?
  Guſtus item a tactu quoque gignitur, inque palato
Iſque fit in lingua, multis quæ tota videtur
Compoſita e fibris contextis inque plicatis
Inter ſe varie: facili ratione movetur
Propterea, & partem ſeſe contorquet in omnem.
Ergo cum innumera conſtet propagine lingua
Nervorum e ſupera cerebri regione fluentum,
Succus ubi variis mandendo expreſſus ab eſcis
Humida linguaï contingit texta, cietque
Fibras; tum quendam ſentimus in ore ſaporem:
Nam quidam ad cerebrum motus ſeſe inde propagat.
In radice ejus ſummoque in acumine verum
Vividus hic ſenſus magis eſt; nam copia major
Eſt ibi fibrarum, & contextus denſior extat.
  Utque cibos opus eſt varios diſtare figura
Et motu ſeſe inter & augmine particularum,
Hos ita diverſo pacto debere palati
Contrectare vias fibraſque ciere fatendum.
Idcirco exoritur variantia multa ſaporum.
Si pungat linguæ fibras & vellicet eſca,
Fit ſapor acer, uti piper eſt acceptaque menſis
Allia Meſſorum; ſalſum, ſi rodat eaſdem,
Dicimus eſſe cibum; dulcem, ſi leniter atque
Suaviter attingat penetretque foramina ſuccus,
Mellis uti lactiſque liquor tractatur in ore
Jucundo ſenſu: ſed contra abſynthia tetra
Abſtergunt veluti linguam everruntque palati
Contextum tenuem; quapropter amara vocamus.
  Deinde cibi ſapient calidi magis; exagitabunt

Quan-

Quandoquidem caulas motu majore palati.
At, quæ frigida ſunt multaque immota quiete,
Vix tenuem reddunt linguæ per texta ſaporem
Plerumque, & ſenſu vix percipiuntur ab ipſo:
Qui nimio contra perſæpe obtunditur uſu
Rerum, quæ magno percellunt nervea motu
Texta; velut multo qui proluit ora Lyæo
Nocte dieque madens, & vix non ebrius unquam eſt;
Tandem ejus ſenſum vix percipit ille liquoris
Nullaque propterea vini diſcrimina novit;
Ardet at in florem Bacchi, ſapit ille palato
Spiritus, atque epulas tantum, queis ſuccus inhæret
Acrior, unde agitet fibras violentior ictus,
Appetit. Hoc ipſum ſenſus extende per omnes,
Omnes immodicum nam debilitantur ob uſum.
  Porro, quo Pacto nares contingat Odorum
Vis ut eum poſſit ſenſum progignere, agemus.
At prius illorum quæ ſit natura, videndum:
Poſt id nam ratio per ſe manifeſta patebit,
Protinus ut nares vis nota laceſſat Odorum.
Sic prius ac rapido plenam torrente Viator
Tranſiliat foſſam, metitur præpete curſu
E longo campum ſpatio, torrentis ad oram
Ut venientem idem ferat ilicet impetus ultra.
  Eſt Odor haud aliud, late quam miſſa per auras
Copia multarum de rebus particularum,
Perpetuo ex illis quas fluctu exire putandum eſt.
Et quia eas motu vario variaque figura
Conſtare, ut varia quæ ex re mittuntur, oportet;
Eſt opus, ut varii pariter videantur Odores.
  Si matutino madeat flos rore, recenti
Vel pluvia, haud ulli vulgo ſparguntur Odores:
Particulis quoniam manantibus interceptum
Eſt iter, & liquida concluſa foramina lympha,
Unde fluunt; quare tectæ obſtructæque tenentur.
Aſt ubi ſublatas radiis conſumſerit undas,
Recluſiſque viis ſuavem Sol moverit extra

Educens fluctum, redolebunt floribus horti,
Mellificaſque trahent halantia prata volucres.
Illud in his porro non eſt mirabile rebus,
Parva adeo conſtare minutaque particularum
Corpora, quæ volitent faciles diſtracta per auras,
Perpetuoque fluant fluctu per tempora longa,
Nil ut limatum de corpore conſtet odoro
Propterea ad ſpeciem, & vix deſit ponderis hilum;
Jam ſuper oſtenſum eſt quoniam tibi corpora quævis
In non finitas quoque partes poſſe ſecari.
Sin tibi adhuc ratio quæ poſſe obſtare videtur,
Parvula ne fluere ex ipſis corpuſcula rebus
Credas; hanc alio rem, ſi libet, accipe pacto.
Multa habet, & multis pertuſa retortaque formis
Intervalla viaſque, quod halat, corpus apertas,
Circumfuſa fluens tenuis qua tranſeat aura
Aëris; ut varios dehinc hoc egreſſa meatu
Acquirat motus: parvam mutetque figuram;
Poſſit uti varia pariter ratione ciere
Senſum, quem fieri noſtris in naribus ipſis
Percipimus, varios prope cum ſentimus odores.
Seu levis aura igitur, ſeu fluctus particularum
Membranam noſtris in naribus interiorem
Concitat & circum fibrarum tenuia fila;
Protinus hinc cerebri pertingit motus ad oras,
Excita quo certos tum Mens ſentiſcit Odores.
At Sonus auditur, cum noſtras concitus aures
Ingreditur, ſenſumque ſua vi percutit aër:
Nam præter celeres motus fremituſque trementis
Aëris eſſe nihil Sonitus natura videtur.
Idque palam ut conſtet, citharæ fac ut icta ſonantis
Chorda tremat; celeri motam ratione videbis
Atque iterum atque iterum vibrari: in quaque neceſſe eſt
Eſſe ex impulſu valido tum parte tremorem:
Dum tremor eſt, poteris liquidos haurire ſonores
Auribus: illa pari quoniam facit intremat aër
Commotus fremitu: porro compeſce manenti

Chor-

Chordam exultantem digito; tum protinus omnis
Deſinet audiri Sonitus, quia ſiſtitur aër.
Propterea magna concurrere corpora plaga
Si videas ſub aqua vel clauſi fornice vitri
Omnibus exhauſto, quantum licet, aëris auris;
Nullum exaudiri propius quoque poſſe videbis
Murmur; namque carent auris loca: proinde fateri
Eſt opus omnino Sonitus & vocis ineſſe
Naturam, ut vinco, in commotis aëris auris.
Adde quoque his, circum quod ſi reboantia diris
Æra tonent bombis, ut cum ferus aſſidet urbi
Hoſtis, & ingenti belli quatit alta paratu
Mœnia, commotam frangantur ſepta per urbem
Vitrea, quæ clauſis tranſmittunt lumina tectis,
Conturbetur item vini liquor inque citetur.
Omnia quæ peragi num qua ratione valerent
Aurarum ſine concuſſu tremuloque ſine ictu?
Corpora proinde Sonum tantum ſunt apta ciere,
Quæ concuſſa queunt vibrari & contremere ictu,
Et facere aëriæ pariter vibrentur ut auræ:
Mollia quapropter vix opportuna tremori
Sunt, & vix Sonitus, ut plumbum lanaque, reddunt.
Et quæ denſa magis quoque ſunt, magis eſſe ſonora
(Si tamen interea conſtent paria omnia) debent;
Plures quandoquidem partes quatiuntur ab ictu.
Sic quoque vividior defert & denſior aër
Majorem Sonitum fremitu majore tremiſcens.
Hinc minus auditur vox atque obtuſior æſtu eſt,
Quam cum frigida hiems crudeſcit, & aëra denſat;
Perque diem voces non exaudire valemus
Tam facile, ut gelidæ taciturno tempore noctis.
Præterea in partes circum vox diditur omnes;
Unaque miſſa licet, tamen aures perciet omnes
Omnibus in populo: nam motus ubique propagat
Circum ſeſe aër: veluti ſi marmora ponti
Strata gravi ludens ferias turbeſque lapillo:
Nempe videbis aquam, ut ſubito ſe tollat in orbes
Mul-

Multiplici circum gyro, mediumque coronet,
Quo primo eſt commota, locum: pariterne recuſes
Credere concuſſum dextra lævaque moveri
Aëra poſſe, retroque ſimul, ſimul ante propelli
Deorſum etiam ſurſumque & in omnes undique partes?
Interpoſta tamen ſi ſint loca longius æquo,
Denique per magnum ſpatium confundier auras
Aëris & minui fremitus miſſamque neceſſe eſt
Turbari, ut nequeas verba internoſcere, vocem.
  Utque ſolent pelagi glomeratis orbibus undæ
Sæpe repulſari objectis a littoris oris,
Et non confuſos alia de parte recurvi
Circuitus orbes ſinuare retroque referri;
Sic quoque non aliam rationem reddere poſſis,
Quo pacto formas verborum ſaxa remittant,
Palantes Socios cum per loca ſola vocamus,
Seu reſonat fundens ſilveſtrem fiſtula Muſam,
Et labro calamos Paſtor percurrit hiantes.
Sæpe aliquis, cui dura Venus rejectaque vota,
Solus per ſilvas & valles inter opacas
Erravit triſti teſtatus voce querelas,
Contemtos ſaxis & reſponſantibus ignes
Ennarrans læſum paulum ſolatus amorem eſt.
Namque ferunt Nympham latitare in montibus illis,
Pulchrum quæ quondam nequidquam pulchra peribat
Narciſſum; ſpretos mœrens tum propter amores
Tabuit, & diri monumentum triſte doloris
Facta lapis retinet vocem vetereſque querelas.
Vatum ſic mendax cecinit Chorus: ipſe refello:
Nam ſolidis adliſa locis retroque priorem
Reddit pulſa Sonum, verborum & imagine ludit
Aura ciens iterum ſenſus aureſque penetrans.
Unam ſæpe quater loca vidi reddere vocem,
Verbaque certatim colles iterare repulſa
Collibus & tacitæ violare ſilentia noctis.
  Scilicet & colles antiquaque mœnia & ædes,
Et tacitum poſitæ rupes trans flumen, & umbræ
Silva

Silvarum, & multo veſtiti ceſpite campi,
Montium & anfractus varii procul, & cava ſaxa
Et nubes referunt Sonitus & murmura reddunt.
Quanto & nos ſpatio majore recedimus illinc
Reflexæ tantum mora creſcit vocis, ut aures
Sæpe vel integra vox, vel duplex ternaque pulſet.
Verum quo fuerint propiora obſtacula contra,
Hoc ad nos citius referetur imago loquentes,
Ultima vocis uti vix ſæpe audire queamus;
Sed reſono turbet ſermonem murmure clangor.
Sic cum marmorei vicino e pariete templi,
Audit ubi Orantem Populus, prope tempore eodem
Vox reflexa venit, quo miſſa loquentis ab ore eſt,
Multiplici pariter ferit ictu fortius aures:
Non ita, ſi laxis inſtrata tapetibus illa
Marmora ſint, quoniam voces non inde redibunt;
Obruit has etiam Populi ſtipata caterva
Veſtibus, & quæ per ſuſpiria redditur aura.
  Si circum effundi nequit, at directus in unam
Eſt partem reſonans aër, intenſior exit
Hinc Sonus, ut longo cum vox immiſſa canali eſt.
Hinc prodit vis mira Tubæ vocalis (ut illam
Appellant), intus ſi voces ore profundis,
Uſque adeo magnos Sonitus extollit & altum
Clamorem, ut penetret nubes & inania cæli
Plus quam Stentoreæ vocis vi repleat, atque
Terrificet pavidas ſtrepitu reſonante volucres.
Inter namque tubæ latera interiora repulſu
Aurarum vires augentur multiplicato;
Non ſecus atque cavæ ſpecubus ſe nubis & ipſis
Vallibus & ſilvis tonitru cæleſte propagat,
Atque ciet populos ſtrepitu majore timentes.
  Fit gravior Sonitus, fremitus cum lentior extat
Aëris undarum; ſiquidem dum quæque tremiſcit,
Amplius excurrit ſpatium, funditque loco ſe
Majori non crebra nimis; fit acutior idem,
Protinus auraï cum vis vibrata frequentes

Inque

Inque brevi ſpatio curſus agit atque recurſus:
Propterea gravis a majori corpore prodit;
Illum nempe gravem, cum longa eſt, tibia reddit;
Si contra brevior conſtet, Sonus exit acutus.
  Hinc tibi multarum tot ſunt diſcrimina vocum,
Tot variæ ſpecies atque intervalla Sonorum;
Nomina certa quibus, ſed paucis (quis queat omnes
Prendere?) qui melicas artes docuere, dederunt.
Prima Senis Samii ſunt hæc inventa, ſonantes
Qui numeris certoque coërcuit ordine motus.
Chorda tremens unda noſtros ſi ſimplice ſenſus
Impellat, duplici ſimul altera verbere pulſet,
Conflatur Sonus inde tuis gratiſſimus omnes
Auribus ante alios, ſibi nam permixtus uterque
Tempore reſpondet breviore, & percutit una.
Gratus erit quoque, ſi geminos det chorda tremores,
Altera dum peragit ternos; aut deinde quaternis
Ictibus undarum ternus ſi conſonet ictus,
Jungere ſi varios numerorum hoc ordine perges
Inter ſe Sonitus, deprendes uſque minori
Progrediens noſtros tangi dulcedine ſenſus:
Rarius inter ſe nimirum & non ita parvo
Tempore junguntur diſcordes cætera pulſus.
Octo diſcrevere Sonos, ſigniſque notârunt,
Queis amor hic curæ eſt; ollis hic terminus hærens,
Non datur hos tranſire ultra atque excurrere fines:
Verum iterumque iterumque gradus aſſurgere pergunt
Deinde per octonos, vel, ſi libet, ordine verſo
Deſcendunt ſpatiis, quibus aſcendere, remenſis:
Ut faciant, nervos aut ærea fila nec æque
Craſſa nec æquali ductu protenſa nec æquis
Viribus inter ſe componunt, concita pulſu
Pectinis aut pinnis ſalientibus ut dare poſſint
Octono incluſos gyro quoſcumque Sonores.
Hos ita permiſcent, atque ordine convenienti
Tempore quemque ſuo varioque tenore moriſque
Atque intervallis variis novere peritæ

Elicere inde manus, ut protinus arte magiſtra,
Harmoniam Græci quam dicunt, exoriatur,
Arrectas cupide penetrans quæ ſuaviter aures
Pertentat tacita motum dulcedine pectus.
Scilicet hac animi mira ratione trahuntur;
Illa rapit Mentes alte inſinuata, ſuoque
Evehit extra ſe mortalia corda lepore.
Præſtantes Animæ, queis altius inſidet intus
Hæc Pulchri ſpecies hæc Ordinis inſita forma,
Plus aliis hanc vim captæ ſenſere bibentes
Aure magis cupida, quodcumque illabitur illinc:
Iſtud namque melos ſpeciem illam munere Divûm
Impreſſam in nobis, quæ ſæpe obducta lateret,
Suſcitat, atque locat manifeſta in luce videndam,
Unde rigat Mentes ubertim dia Voluptas.
Objicit hic ſeſe quiddam mirabile nobis:
Namque fac, una cavæ teſtudinis excita pulſu
Chorda tremat, reddatque Sonum; videatur, oportet,
Altera, ſi par eſt prope & æque tenſa, moveri
Per ſeſe exultans pariter, ſimilemque Sonorem
Reddere. Non illud, quo fiat, dicere pacto eſt
Difficile, & veram, ſi jam cupis, accipe cauſam.
Æqualis quoniam re prorſus conſtat in omni
Utraque chorda, pari, cum mota eſt utraque, oportet
Tempore conficiat curſus, pariterque coruſcet
Conſimilem reddens una fremitumque ſonumque.
Alterutram vero ſi tantum pectine tangas,
Ut tremat, & tremulo circum queat aëra motu
Exagitare, ſuas celerans hic proferet undas
Intactam ad digitis vel eburno pectine chordam;
Pareat illius tunc ictibus illa neceſſe eſt.
Tenuiter impulſa eſt primo, dum chorda ſecundos
Poſt redit ad curſus, novus aëris advenit ictus
Vim geminans motus, &, quo via, dirigit illuc;
Poſt aliuſque aliuſque ſupervenit & nova jungit
Verbera conveniens in tempore, quo parat itus
Illa ſuos; igitur magis uſque impulſa cietur,

Ex

Ex fremitu donec Sonitum exaudire queamus.
Consimile est altis pendentia turribus æra,
Invenit quorum Campania nomen & usum,
Cum cœptant agitari aut plebem in templa vocatum,
Aut ad Consilium Patres sanctumque Senatum,
Lætitiæ aut festis augenda ad signa diebus:
Primo pendentem per funem concita motu
Se tenui vibrant; sed ubi rediere, repente
Additur a validis nova vis transmissa lacertis;
Quæ facit ut majus spatium magis icta peragrent;
Urgent deinde novos itus tentantia vires
Usque novæ; quare quia tempore quælibet apto
Impellit, fit, uti momentis denique junctis
Pluribus illarum quatiantur pulsibus æra,
Et Sonitus magnam pervulget protinus urbem.
Verum siqua suo non tempore, scilicet æquo
Ocyor, intendat funem vis, inde priori
Motum adversari fateare necesse secundum est
Atque obstare recurrenti: vel deteret ergo
Partem aliquam illius, vel prorsus sistet eundem.
Sic quoque si gemini prope distendantur, eodem
Non apti tamen ad vibrandum tempore, nervi,
Alter pulsato nunquam tibi consonat uno;
Namque cito illius motum, quem scilicet ictus
Primus inire facit, contraria sistit iniquo
Tempore post veniens unda, atque ita præpedit omnem.
Verum non ita fit, nervus si longior æquis
Partibus extet, uti quævis queat infremere uno
Tempore, quo vicinus agit se nervus ab ictu.
Nam tum divisæ mediis (res mira!) coruscant
Immotis partes punctis, redduntque Sonorem.
Hinc facilis veram ad rationem se via pandit;
Quare, cum quædam resonant prope corpora, nostri,
Nec mora, inhorrescant artus, atque ossa tremiscant:
Vitra quoque, immittunt quæ clausas lumen in ædes
Sæpe agitentur, ubi Sonitus quid fundere certos
Auditum: sed non opus hæc monstrare videnti est,

Nam modo dicta, tibi cum ſint bene cognita, clarant.
  Hic equidem a vero non longe abſiſtere quoſdam
Credimus, e multis qui partibus aëra dicunt
Conſtare, ut variæ ſint vires officiumque,
Et varia illarum natura, nec una poteſtas;
Propetereaque Sonos ſit certos apta ciendi
Illa tremore ſuo, diverſos altera, tantum
Quæque ſuos, veluti diviſo munere, reddat.
Nec nova res auras naturæ haud ſimplicis eſſe
Aërias, ſiquidem fœcundant omnia late
Omnibus & vires & vitam ſuppeditantes;
Nec non e rebus ſibi jungunt tenuia quæque
Abraſa, in varios atque exhalata vapores.
Quare non poterit per partes aëris omnes
Transferri noſtras certus Sonus undique ad aures,
Sed quas in certos natura dat ire tremores,
Illis nempe pares, quos conſona corpora reddunt;
Nam ſecus haud valeant diverſi tempore eodem
Audiri Sonitus; neque enim bis terque quaterque
Idem vibrari ſimul aër poſſe videtur.
  Et quoniam motu Sonitus fit, temporis uno
Momento quævis non ad loca pervenit ille;
Sed vicina prius pertingit, deinde remota;
Atque ita temporibus multis natura propagat
Se ſonitus, tremulis fieri quem diximus auris.
  Præterea Sonitus æque celerare videmus
Semper, ſint tenues ſint magni quamlibet illi:
Scilicet horrendum murmur parvumque tuborum
Tempore idem ſpatium pariter percurrit eodem;
Pluribus in rebus tentando ſæpe repertum
Quod fuit, ut ratio non ulla refellere poſſit.
Idem præterea vix ventis tardior aures
Percutit adverſis Sonitus, citiorque ſecundis;
Vividus his quanquam procurrat, languidus illis,
Se procul his, illis loca per breviora propaget.
  Denique non ejus magnis fuga cœpta remittit
Confectis ſpatiis; verum percurſa Sono quæ

Sunt

Sunt loca, temporibus jam reſpondere notatum eſt:
Nimirum his æque creſcunt creſcentibus æque:
Propterea Sonitus geminato tempore duplex
Excurrit pariter ſpatium; ſed dimidiato
Illo dimidium ſpatii quoque tranſmeat idem.
 Hinc ſi, quod ſtadiis tempus reſpondeat octo,
Conſtet(tot ſtadiis jam reſpondere notatum eſt,
Quino quo vibrat ſe pulſu arteria, tempus),
Poſſumus, a nobis quantum loca, noſcere, diſtent.
Nam ſi præteriens magno ratis æquore longe
Fulguret, exploſo crepitumque det ære; repente
Id numera tempus, crepitum quo ſcilicet acrem
Præceſſit fulgor; cui reſpondentia noto
Cognoſces ſtadia, ipſa quibus disjuncta recedit
Puppis: & aſſimili pacto, cum fulgit in altis
Nubibus, & tonitru poſt Juppiter infremit acri;
Quantum illæ nubes tollantur, ſcire licebit.
 His bene firmatis rebus tibi ſuppoſitiſque,
Accipe, quo patulas pacto Sonus excitat aures.
Principio motus ſubit aër anteriorem
Auris, qui conchæ cavus extat more, meatum
(Amplus hic eſt, circum ut reſonantes colligat auras;
Una proinde tubum multi applicuere patentem
Parte, ſed anguſtum, ſurdæ qua jungitur auri):
Inde per anfractus varios ſpiraſque retortas
Pervenit extenſæ membranæ ad tympanum, ut ajunt,
Inſinuatus, eamque trementibus incitat auris,
Quæ concuſſa movet ſemotum in parte repoſta
Aëra poſt ſeſe; labyrinthi hic denique flexus
Concutiens fibras tenues ciet; unde cerebri
Motus hic ad molles per nervum immittitur oras,
Mens ut poſſit eo voces audire Sonoſque.
 Quod ſupereſt, Viſus naturam perſpiciamus:
Et quia, quæ Viſum feriat, res luce videntur;
Si bene naturam, quam multo oſtendimus ante,
Lucis mente tenes, quid ab illa profluat, audi.
 Primo cum radii denſatum in corpus aguntur,

Protinus ut nequeant cæcas tranſire recepti
Et penetrare vias omneſque illabier intro,
Reflectuntur, & exiliunt; quod cernere poſſis,
Cum radius Speculi veniens offendit ad æquor.
Si vero endogredi recluſa foramina poſſit
Corporis, ut vitrum liquidamque ut permeat undam,
Incidat & recto delabens deſuper ictu;
Tramite decurret nuſquam deflexus eodem:
Sæpe tamen recta, cum deſuper incidit idem
Scilicet obliquus, non quit regione viaï
Pergere, in ingreſſu ſed cœptam cogitur ipſo
Inflexus mutare viam: ſi denſius extet,
Quod refracta ſubit radii lux, corpus; ut auris
Aëris a raris liquidas cum tranſit in undas,
In durum ex undis vel migrat & aëre vitrum;
Se merget magis, & curſu breviore meabit,
Et minus obliquo: ſed contra obliquior exit
E vitro atque undis in raras aëris oras.
Propterea fit, uti videatur fractus in undis
Remus; quandoquidem radii, quos merſa remittit
Pars ea reflexos, ubi jam venere ſub auras,
Franguntur, fractique magis regione feruntur
Obliqua, & ſe demittunt a tramite cœpto.
Quod magis ut noſcas, age, labro immitte vacanti
Clarum ex argenti fulgore numiſma vel auri;
Deinde recede pedem referens pauliſper utrumque,
Illud dum labri latus obtegat, ex oculiſque
Eripiat prorſus, tum vas puer impleat unda,
Fac, vacuum, incipiet tibi fulvum protinus aurum
Namque vel argentum nummi (res mira!) videri.
Quod fieri haud alio valeas oſtendere pacto;
Quam quia, cum denſis radii lux exit ab undis,
Inclinatur, uti multo demiſſior, ante
Quam fuit, obverſos oculorum tangere viſus
Poſſit, & ut paulum ſublatum oſtendere nummum;
Quem nunquam radio potuiſſes cernere recto.
Sic quoque, cum cæli ſpatium permenſa reviſunt
Aſtra

Aſtra ſuos obitus, cum Sol cum Luna videtur
Orbis jam primo pelagus contingere limbo,
Inferiora, magis demiſſaque, quam videantur,
Sidera, & occiduis Solem Lunamque ſub undis
Curribus emeritos credas ſolviſſe jugales;
Quandoquidem attollunt radii ſua ſidera fracti,
Dum circumpoſitas terræ illabuntur in auras:
Ante ſuos contra cernes jubar erigere ortus,
Et tremere igne novo ſuperaque attollier æquor.
Sidera præterea, quæ toto fulgere cælo
Hic illic infixa ſerena nocte videmus,
Pene infinitis diſtantia dimoveantur
Cum longe ſpatiis, per quæ loca lucis eorum
Tranſmiſſi radii varianter multimodiſque
Flectuntur; quoniam mediorum Vorticum, oportet,
Multiplex variumque meando iter ingrediantur;
Sidera quis temere in cæli regione manere
Dicat ea, a nobis qua fulgida conſpiciuntur?
Et quia franguntur, dum vitrum obliqua cadentes
Tranſmittunt radii; ſi forma lentis id extet,
Scilicet a parti cum paulum aſſurgit utraque
Convexum, radios non recto deſuper omnes
Excipere incurſu poterit; verum undique fractos
Colliget, & puncto, faciet, jungantur in uno;
Appellant quem proinde Focum; quia protinus illic
Materia admota radiorum viribus ignis
Conjunctis oritur: quod ſi pars utraque contra
Concava ſit vitri, oppoſita ratione neceſſe eſt
Confracti ingreſſu ſimul egreſſuque recedant
A ſeſe radii disjuncti mutua lucis
Huc illuc, vulgoque per aëra diſpergantur.
Hæc inſerta tubis aptare eſt vitra repertum,
Ut longe poſitas nobis longeque remotas
Res, quas nunquam oculis poſſemus cernere nudis,
Oſtendant variis radiorum anfractibus intus,
Et late terram & cæli nova ſidera monſtrent.
Ars facit hæc etiam, magno videantur ut auctu

Corpora, quæ noſtros infra ſunt tenuia ſenſus;
Ut cum detegimus brevium per ſepta tuborum
Innumera in variis animalia fervere rebus
Tantula, uti totum numero ſimul innumerali
Cernere non oculis populum poſſimus eorum;
Ludentiſque velut miracula contemplamur
Naturæ, majora ſuæ quæ denique nuſquam,
Rebus quam in minimis, ſpectacula præbuit artis.
Jam Speculi non poſſe vias penetrarier intro
A radiis, ſupera quoque dixi, lucis; at illo
Omnes reflecti offenſu, ſubitoque repelli.
Propterea rerum variarum apparet imago
In Speculo; quoniam ſimulacrum lucis ab ipſis
Cum venit in Speculi lævorem rebus, ab ejus
Planitie redit haud confuſa lege ſituque,
Sed certa ratione ſed ordine partium eodem,
Ad Speculum offendit veniens quo lucis imago.
At ſuper his quoque ſcire licet, quod, rectus in æquor
Si Speculi radius ſuper incidat, exilit idem
A Speculi lævore via quoque rectus eadem;
Sin cadat obliqua veniens regione viaï,
Ex alia obliquus pariter ſe parte reflectet:
Haud ſecus, ex aliqua quam ſi pila parte ſuperne
Jacta pavimentum feriat, reſilire videbis
Protinus oppoſita ſurſum regione repulſam.
Percipe præterea, quare videatur imago
Tantum ultra Speculum, quantum res ipſa locata eſt
Citra; quod genus eſt, ſub terris impete tanto
Cum cælum in Speculo cum cæli nubila ſubter
Deſpicimus, quantum ſupera patet altus hiatus.
Haud alia viſum radii ratione laceſſunt
Reflexi, recta quam ſi regione venirent:
Illaque propterea viſas referamus, oportet,
In loca res, radiis quæ reſpondere videntur,
Noſtra licet fracti detergant lumina, rectis.
Non tamen a Speculis, quæ conſtant æquore lævi,
Transferri res hæc ratioque valebit ad illa,

Exti-

Extima queis facies convexa aut concava conſtat:
Concava namque augent pariter removentque figuras;
At longe tenui propiores augmine contra
Reddere res oculis, quæ ſunt convexa, videbis.
  Quapropter Speculum, facies cui plana nitenſque eſt,
Unum præ reliquis mendax non eſſe videtur:
Fidum hinc expoſcunt ornantes ora Puellæ
Conſilium, Juvenum aſpectus cum fallere ficta
Vultus ſæpe ſtudent forma Venereſque videri.
At neque rura ſuis etiam, neque ruſtica Pubes
Nuptarum Speculis unquam caruere: quietæ
Nam conlectus aquæ ſæpe inter ſaxa viarum,
Ora coronatos & lecto flore capillos
Reddidit, ut Pueri laudarent Agricolarum;
Nec ſum adeo informis, nuper me in littore vidi,
Paſtor ait, tenero perculſus vulnere corda.
  Hinc etiam omnigenos gigni fateare Colores
Eſt opus in rebus: namque ut reflexa videri
Lumina res faciunt radiorum, ita corpora reddunt,
A quibus exiliunt, vario contincta colore.
Candida cernis enim, quæ ex omni parte remittunt
Omnes vi multa radios, & lumina vibrant
Undique: ſed contra nigrant ea corpora, multis
Quæ pertuſa viis intra ſe clara receptant
Lumina lucis, uti paucos raroſque remittant
Ex ſeſe radios vi langueſcente repulſos.
Sub terris ideo quæ ſunt loca, nigra videntur
Omnia; quandoquidem ſubtus non ulla ſubit lux,
Unde repercuſſis radiis ad noſtra referri
Lumina poſſit, & his viſum progignere jactis.
  Si duo præterea nigrumque albumque calentis
Marmora ſint Phœbi radiis expôſta, videbis,
Quod nigrum eſt, citius calefactum, at ſerius album:
Jactat enim radios hoc ſeſe protinus extra;
At nigrum recipit contra, retinetque calentes.
Propterea & nigri carbones igne propinquo
Concipiunt flammas facile, ardeſcuntque repente.

His etiam adde, niger quod pannus & albus, uterque
Et ſimul undarum frigentem immerſus in amnem,
Et ſimul æſtivos extenſus Solis ad ictus,
Non ſimul abjiciet ſiccatum Sole madorem;
At multo citius niger exſiccabitur; ignem
In ſe namque magis recipit, qui disjicit omnem
Protinus humorem, longeque expellit in auras.
Porro cum quodam gignantur luminis ictu,
Multiplices, opus eſt, gigni fateare Colores,
Exilit in varios vario ut de corpore motus
Lumen ab offenſu: quod uti cognoſcere poſſis,
Percipe nil aliud radiorum luminis eſſe
Naturam (liceat ſupera quoque dicta referre),
Quam niſum medio fugiendi a Sole pilarum,
Alterius, memini, quas diximus eſſe Elementi.
Ergo percuſſum faciat ſi corpus (ut illud
Conſtat inæquali contextum fronte), pilarum
Se circa ut rapide reflexa Elementa rotentur;
Prodibit Ruber inde Color, Rubicundaque viſum
Lux feriet: quod fit, minium cum cernimus, & cum
Sanguinis undantes latices e vulneris ore
Profluere, aut roſeos primo ex Oriente videmus
Auroræ vultus lucemque diemque ferentis.
Contra ſi tenui retro pila miſſa rotatu
Exiliat; radiis lucis perfuſa nitebunt
Corpora Cæruleis: Virides Flavique Colores
Et Ferruginei quique omni de genere inter
Hos extant alii, non multum in origine diſtant;
Quandoquidem motu gignuntur particularum
Circa ſe mage vel celeri, vel languidiori.
Forſitan & varia diſtant quoque mole, nec æquo
Pondere particulæ lucis nec viribus extant:
Quare diſſimili motu impulſuque cieri
Quamque ſua pro natura debere fatendum;
Corpora proin vario colluſtrant tincta lepore.
Hæc veris propiora, tamen non vera fateri
Eſſe potes; quoniam non clarant de genere horum,

Quid fiat, verum fieri quid poſſit: at ipſum
Jam quoque, quid fiat, quid verum denique conſtet
De genere hoc, multo evictum tentamine nuper
Prodiit; atque mihi eſt exempla retexere longum
Omnia, nec numeris patiuntur multa referri.
Propterea tantum ſat erit libaſſe, quid ingens
Re vulgârit in hac Anglis Newtonus ab oris.
Principio clauſis foribus penituſque diei
Lumine ſemoto, tantum per tenue foramen
Admiſit radium thalami in penetrale rotundum
Solis, & objecto venientem corpore vitri
Excepit triquetri; ut, dum migrat in illud, & extra
Egreditur, geminis paulum ſe frangat ibidem
Ipſe locis: porro canam haud procul inde papyrum
Conſtituit, radium quæ vitro denique ſiſtat
Tranſmiſſo. Tum vidit eam nec luce rotunda
Fulgentem, parvi claram nec imagine Solis;
Vidit at oblongam ſuper extenſamque figuram
Multorum vario tingi fulgore Colorum.
Imus inardebat Rubro locus; altior extat
Flavus; & hunc Viridis ſuperimminet; excipit illum
Cæruleus Color; at Violæ lux pallida ſumma eſt.
Aſpexitque etiam, quæ tenuia particularum
Tranſmiſſo in radio volitant corpuſcula, tingi
Diverſa inter ſe variorum luce Colorum;
Ima rubere quidem, Violæ palleſcere ſumma
In morem, medios media ipſa referre Colores.
Quare hoc? nimirum quia claro in lumine Solis
Diverſa inter ſe natura diſſimilique
Particulæ conſtant radiorum; quas ubi vitro
Excipis, haud æqua pollent vi trajiciendi:
Propterea haud æque radii franguntur: in altum
Inſiliunt, fracti quoniam mage, languidiores:
Inferiora tenent, lucis quibus acrior extat
Vis, fractique minus. Quapropter lucis in ipſo
Lumine ſunt multi natura & proinde Colore
Diſtantes radii; nitidum quos reddere cernis

Can-

Candorem, cum ſunt confuſi mutua, ut Album
Eſt radii jubar, ingreditur cum tenue foramen,
Et nondum ad triquetri pervenit corpora vitri.
Ergo videmus eo res tingi quaſque Colore,
Cujus particulas retro jacit extima rerum
Ex ſeſe facies, ut lux rubicunda pyropi eſt,
Propterea, quoniam vix ullos ille Colores
Reflectit, præter viva quam luce rubentes.
  Quantum ultra Mens illa Viri fœcunda repertis
Proceſſit? quid non præclaris extudit auſis?
Quid non divina meditando protulit arte?
Atque equidem, ſi res foret hæc non invia Muſis,
Scilicet & motus qua ſe ratione propaget,
Et canerem, quæ vis illum compeſcat, & obſtent
Corpora corporibus qua lege fluentia motis,
Exponit quæ Vir doctis ille omnia chartis:
Præterea & Gravitas ut ſeſe extendat in omnem
Late materiem; trahere ipſa trahique viciſſim
Corpora per cælum, Solemque errantia niti
Quælibet in medium memorarem ſidera, & unquam
Haud potuiſſe ſuis ratione ex orbibus iſta
Elabi, & varios Lunæ quæ certa meatus
Dirigat, & domitum Martem quæ cauſa refrænet.
Fors alii hæc olim peragent, quibus altior acris
Vis animi ingeniique vigor pollentior extat.
Scilicet hæc memoret, * quicum communia nobis
Vincula communis Patriæ, quem ſidera Mundi,
Vires, menſuras, rationes, pondera rerum
Et numeros audit Pubes Romana docentem.
Magnis ille Viris Socialis fœdere vitæ
Jungitur. Hoc Divûm ſancitum eſt munere, ut eſſent,
Qui genus excolerent humanum, & lumine puro
Doctrinæ & rectis formarent moribus orbem.
Hoc, quod nempe meum eſt etiam, ſit quamlibet ipſum
Exiguum, ex iſto deductum fonte neceſſe eſt

Illis

* R. P. Rogerius Boſcovich Soc. Jeſu Matheſeos in Coll. Romano rofeſſor

Illis acceptum, quidquid ſit, ſponte referre.
Iridis & pulchri pinguntur ſæpe Colores:
Namque, ubi diſperſis pluviaï roſcidus aër
Conſtat aquæ guttis, queis poſſint Solis Eoi
Clara vel occidui frangi varieque reflecti
Lumina, fiet, uti magnum ſinuentur in arcum,
Qui feriant noſtros oculos viſumque, Colores.
Haud ſecus ac in aquis ſalientibus, undique fuſis
Circum marmoreæ cum ſpargunt aëra guttis
Najades, adverſo quarum Sol lumine ludos
Rorantes videat, radiiſque illuſtret, aquarum,
Iridis omnigenos parvæ tueare Colores,
Eſt opus, humentes radiis & pingier auras.
Conſpiciemus item florentis gramina prati,
Cum matutino leviter conſperſa madeſcunt
Rore, novus terris & jam Sol lumina profert,
Cæleſtem variis ſimulare Coloribus Irim.
Obliquos radios etenim in ſe gutta receptans
Frangit in ingreſſu; tum poſteriore reflectit
A latere, ex iſta queis parte exire negatum eſt.
Hinc aliud tentant illi latus, unde ſub auras
Efugiſſe queant; ſed non impune; ſub auras
Nam redeunt fracti, & candentis lumina lucis
Hic mage diſcerpunt iterum in diverſa, recedunt
A ſeſe quoniam diviſi, abeuntque Colores
In varios: veluti adverſum ſi vitreus alte
Plenus aqua globus ad Solem educatur, & ipſum
Spectes tu Solis poſitus de parte, Coloris
Tum cujuſdam oculos ſpecies ferit; altius illud,
Si rubet, eſt vitrum; flavum demiſſius aurum,
Poſt virides herbas, tum cæli cærula templa,
Purpureum violæ ſimulat tum denique florem.
Ergo hoc ſi deorſum diſponas ordine guttas,
Ordine item deorſum videas hoc ire Colores:
Circum at ſi guttæ ſint undique, flectere circum
Verſicoloratum ſe cernes lumen in arcum;
Namque pari radios ratione a Sole receptant

Circum

Circum dispositæ guttæ, & ratione reflectunt
Ad nos deinde pari, paribusque Coloribus arcus
Propterea ductus circum pingatur oportet.
Irim præterea quoque sæpe videre secundam
Contigit, exterius quæ sese inflectit; at ejus
Languidior multo lux est, versoque Colorum
Ordine per cæli regionem extenditur amplam.
Hoc fit, ubi in guttis bis reflectuntur aquai
Ingressi radii: quod idem pila vitrea monstrat,
Si suspendatur paulo tamen altius, ante
Quam suspensa fuit, quoniam transire videtur
Paulatim saliens a rubra luce per omnes
Exinde at fuscos mage pallidulosque Colores.
Ire coronatum Solem Lunamque videmus
Interdum, & varios ambire utrumque Colores;
E tenui speciem quam reddi nube necesse est;
Quæ quia Lunam inter Solemve, oculosque videntum
Est media, illorum subter transmittere debet
Refractos varie radios, mediumque nitentem
Orbem proin pulchro circum redimire Colore.
Sic ubi quis frigente tepentia balnea bruma
Ingreditur, densus Calidæ vapor undique fusus
Clara lucernarum concinnat lumina circum,
Quæ feriant oculos, variorum serta Colorum.
Est etiam ut geminos spectemus in æthere Soles,
Aut plures quandoque: velut nam corpora reddi
Cernimus e speculo, sic & glaciata necesse est
Spicula, quæ cælo labi post sæpe notatum est
Nubibus e densis, ubi forte liquescere paulum
Incipiunt, & stant gutta pendente deorsum
Recto proinde situ, phæbeos desuper ad nos
Reflectunt radios, Oculo qui denique juncti
Assimilem Soli pingunt, geminantque figuram.
Accipe nunc, quanam lucem ratione tuamur
Corporaque immissam per lucem, aciesque reclusæ
Quid faciant. Oculi primo globus exteriori
Circum munitur tectus super, inque volutus,

Mem-

Membrana; quæ fors, quia paulum dura videtur,
Ut cornu, simul & pellucida, Cornea dicta est.
Illi subjicitur post altera tenuior intus
Uvea, fors uvæ sic propter dicta colorem,
Ut libet: hæc medio pertusa foramine constat,
Quod modo per fibras, nimios excludere possit
Ut lucis radios & vim removere nocentem,
Contrahitur; fit idem modo latius, uberioris
Si quando, veluti per noctem, lucis egemus:
Pupula nomen habet. Demum quæ tertia constat
Membrana, in fundo est Oculi, contexta minutis
Reticuli in formam fibris, gignuntur ab uno
Quæ nervo, veluti plexi uno a stipite rami.
Interiora tamen nigro penetralia muco
Oblita sunt Oculi, ne possint clara reflecti
Lumina, nec radii sensum turbare repulsi.
Tres etiam Humores Oculus gerit, exteriorque
Est Aqueus: porro Crystallinus excipit illum,
Qui parte haud aliter quam lens ab utraque tumescit
Turgidus: extremus demum subit interiorque
Vitreus, hoc multo qui mollior extat, at illo
Densior. Ergo Oculis Mens rerum externa videndo
Percipit, emissis cum rebus ab omnibus omnes
In partes radiis acies obvertimus; intro
Illabantur uti se protinus insinuantes;
Et varie a vario confracti humore meantes
Tandem Oculi in fundo jungantur, quisque suas se
Ad partes referens: extrema ita corporis ejus,
Quod tuimur, tunica simulacrum pingitur; ipsæ
Qua paulum fibræ pictura concutiuntur,
Concussæque suos cerebri ad suprema propagant
Per nervum motus; qui certo fœdere Menti
Significant, Oculis transmissum est quidquid apertis.
Utque ea, quæ dico, constent manifesta, nec ulla,
Ni temere, a quoquam possint ratione refelli;
Obstructis foribus semota luce diei
Cœca domus tenues tantum per tenue foramen

Ad

Admittat radios; qui protinus excipiantur
Convexo hinc illinc a vitro: proinde videbis
Haud procul inter se collectos jungier una,
Pingereque in cana rerum simulacra papyro,
Illapsi quarum radii per tenue foramen,
Errantesque greges & arantes jugera Tauros
Silvasque collesque & pictos floribus hortos,
Omnia parva, tamen vivo distincta colore.
Sic quoque Pupillæ medium lux missa foramen
Ingreditur; lens humoris Crystallina porro
Excipit, & fractam membrana jungit in ima,
Et parva rerum depingit imagine formas.
Utque inversa situ picta simulacra videmus
In charta, inversas pariter quoque rere figuras
Pingier extremis Oculorum in finibus intus:
Quandoquidem radii venientes ante secabunt
Se, quam membrana juncti sistantur in ima.
Dextram lævus adit partem, dexterque sinistram
Nimirum, & superas picturæ ascendit in oras
Imus, item e superis contra regionibus alter
Ordine mutato fractus demittitur infra:
Non est propterea tamen ut videare videre
Sub terris volvi cælum, vallesque profundas
Nubiferis extare jugis, inversaque subter
Tecta in præcipites semper pendere ruinas:
Quæque suis dispôsta locis namque ipsa necesse est
Mens referat, certaque locet regione situque,
Quæ videt inverso radiorum singula cumque
Ordine. Cœcigeni veluti, fulgentia Solis
Nunquam aspexerunt qui lumina, Noctivagique
Multa decussatis si præ se corpora virgis
Obvia contingant, hinc illinc, dextera quæ sint
Lævaque, percipient; baculo licet illa sinistro
Mutuo in offensu tangantur, lævaque dextro.
Et quoniam in partes a puncto corporis omnes
Quolibet innumeri lucis saliuntque fluuntque
Reflexæ radii; si cominus ejaculentur,

Di-

Diſtracti inter ſe venient magis inſinuantes,
Quam ſi corpus idem ſpatiis majoribus abſit.
Nimirum lucis puncto radiantis ab uno,
Quæ noſtros veniens Oculos ſubit, angulus inde,
Si diſtet longe, minor exit, major at idem,
Si prope ſit corpus. Ratio hinc mihi certa petenda eſt,
Quapropter rerum diducta, remotaque longum
Corpora per ſpatium clare magis intueantur,
Quam nimium vicina Senes; nam planior illis
Anteriore Oculus cum ſit de parte remiſſam
Ævo vim propter fibrarum hinc inde prementum
Ad latera, & fundo propiore acceſſerit ipſa,
Qua rerum effigies fiunt, membrana, neceſſe eſt,
Ut, quia diſtracti vicini corporis inter
Se radii veniunt, Oculoſque offenſibus intrant
Obliquis, fracti tum humoribus ante propinqua
Siſtantur fundi tunica, quam mutua jungi
Inter ſe, & rerum ſimulacra effingere poſſint.
Ut pariter radios longe lens vitrea jungit,
Si convexa parum conſtet, ſpeciemque papyro,
Quæ prope ſit nimium, confuſam pingere debet.
Propterea illius confuſa videtur imago
Corporis, ut Senibus nequeat dignoſcier ægris,
Quod ſi dimoveant Oculis rem longius, ejus
Sint minus obliqui radiorum lucis ut ictus
Diſtractique minus, poterunt poſt denique multos
Humorum anfractus ſupremæ in fronte coire
Membranæ, & ſpecies variarum ibi pingere rerum.
Proinde Senes longe poſitas res atque remotas
Clarius aſpiciunt; propiuſque admota tueri
Corpora vix poſſunt, geminis niſi lumina vitris,
Convexa hinc atque hinc facies quorum utraque, obarment,
Ut faciunt: quoniam tranſmiſſæ lumina lucis
Colligere incipiunt ea vitri ſepta, priuſquam
Contingant Oculos; minus ut diſtracti penetrent
Porro acies, tunicaque queant conjungier imi.
Oppoſitum huic vitium eſt Oculorum, quæ ſita paulo

Longius a nobis jam sunt, non posse videre,
Propterea que oculos nimium inclinare tuendo.
Hujus causa mali pariter contraria debet
Esse, quia anterior nimium convexa tumescit
Pars Oculi, longeque intus membrana recessit
Ultima: proinde minus distracti a corpore longe
Amoto radii venientes ante coibunt
Refracti variis Oculorum humoribus, ipsam
Quam tangant tunicam. Quapropter corpora debent
Esse propinqua, queant distracta ut lumina multum
In nostras acies immittere, propterea que
Efficere, ut coeant membrana denique in ima.
Eximius vitris idcirco, concava quæ sunt,
Usus erit: quoniam dispergunt transgredientes,
Disque trahunt radios a sese mutua, ut illi
Membrana possint illapsi jungier ima.
Queis convexa nimis lens est Crystallina, possunt
Corpora, si prope sint, quoque valde parva tueri
Clarius, ac facerent, si contra planior esset;
Scripturamque legunt Oculo properante minutam.
Propterea que Oculis Animantum, tenuia longe
Pabula quæ per humum aut liquidis sectantur in auris,
Lens humoris inesse nimis convexa videtur.
Et removere Senes Oculis quia cernimus ipsis
Corpora, quæ aspiciunt, vi luminis uberiori,
Est opus, hæc niteant, & multa luce diei
Collustrata: minus sed lucis egere fatendum est
Contra, qui possunt tantum propiora tueri:
Illi proinde vident quoque cæca nocte vagantes,
Queis præsertim amplum pandit Pupilla foramen.
Tum debere putes Oculos variare figuram
Pro variis rebus, quas cernunt: cominus illæ
Immittant ut si radios, membrana recedat
Ultima, quantum opus est, in ea ut pingatur imago,
Et convexa magis se lens Crystallina flectat:
Planior ast humor fiat, membranaque paulum
Accedat, tuimur cum res procul usque remotas.

Pro-

Propterea, quæ sint vicina remotaque, novit
Mens; quia dissimili prorsus ratione videri,
Quæ sunt imparibus spatiis sita cunque, necesse est.
Hoc alio fieri pacto quoque posse putandum est.
Ex Oculis radios recta prodire duobus
Finge duos, una coëant qui corpore in ipso
Producti: multo tum fiet acutior horum
Angulus inter se coëuntum, longius ipsum
Si distet, quam si propius sit corpus: ob hanc rem,
Quid prope quid longe positum, Mens æqua tuendo
Judicat. Apparent quoque res distare remotæ,
Languida cum tenui radiorum illabitur ictu
Vis Oculos, & fusca ferit lux: namque videmus
Fusca magis fieri, mage quæ removentur: oportet
Proin disjuncta magis, quæ sunt mage fusca, videri.
Hac Oculos fallunt Pictores arte tuentum,
Res aliis alias mage rebus ut esse remotas
Credamus, licet in tabula simulentur eadem:
Quandoquidem fusco tingunt distantia fuco.
Propterea hibernus cum nive Juppiter agros
Spargit ubi & montes; propiori vertice nobis
Conspersi montes, arva & propiora videntur;
Namque illinc tunc lux Oculos mage clara lacessit.
His accedit, uti multum distare putemus
Res, ubi multa locis interlita corpora constent
In mediis: ideo Solem Lunamque cavati
Ceu super hærentes in eodem fornice mundi
Suspicimus, licet inter eos immania cæli
Sint spatia: at, mediis quia corpora nulla videntur
Interjecti locis, æque distare tuemur.
His tamen atque aliis, quas dehinc clarabimus ipsi,
Permultis, genus hoc, opus est rationibus addas
Mentis opinatus quosdam, deducta per usus
Quæ longos teneris jamdudum in rebus ab annis,
Rebus in his, nostros quæ sensus sæpe lacessunt,
Nescio qua, tacita celer utitur arte ferendo
Callida judicio, nec ut ipsa advertat, id intra

Qua fiat ratione, ſuos neque ſentiat actus,
Ipſaque ſe certo Natura informet ab uſu.
Pupula præterea, paulo quod diximus ante,
In tenebris pateſit tenuique in lumine lucis
Latior: in claro contra fulgore diei,
Namque ita ſervatum eſt, radios arctatur ob acres.
Proin ſubito in nigras ſi clara a luce cavernas
Commigremus, erit, primo nil cernere ut intus
Poſſimus, quoniam ſubito lateſcere non quit
Pupula: quapropter tenues paucique recepti
Non poſſunt radii viſum progignere nobis
Aſſuetis jam tum impulſu majore cieri;
Quod faciunt, totum Pupillæ deinde foramen
Cum pateſit: nam tum numero majore laceſſunt.
E tenebris autem prodis ſi in clara repente
Lumina; quandoquidem non puncto tempore poſſunt
Pupillæ multum patefacta foramina ſtringi;
Lucis tum nimiæ vis protinus inſinuatur,
Et turbat tenues Oculorum compoſituras
Acer vi magna ſplendor, gignitque dolorem;
Propterea forſan, teneras quia Solis adurit
Lux Oculi fibras, vitant Solemque diemque
Noctis Aves cœcis intectæ luce latebris.
Hinc dubia plus luce vident, neque lumina Solis
Clara ferunt alti, nimium quibus ampla pateſcit,
Et nequit arctari ſat Pupula: latior eſſe
At quibus haud poſſit contra nimis arcta, neceſſe eſt,
Hi mediæ valeant Oculis in luce diei;
Languidior porro tenebras lux inferat atras.
Corpore Sol nobis majori Lunaque multo
Eſſe videtur, ubi cæli jam finibus hærent
Extremi, quo ſe tollunt conduntve ſub undas,
In medii quam cum conſurgunt culmina Mundi:
Nam vel ab occaſu veniens tunc illa vel ortu
Clara minus lux eſt, denſiſque obtunditur auris;
Pupula propterea fit latior; unde neceſſe eſt
Amplior in noſtris Oculis pingatur imago

A ra-

A radiis, circum extremis a ſideris oris
Qui veniunt, aditque mage inſinuantur aperto.
Adde quod hi liquidis plus infringuntur in auris
Radentes terram & tranantes aëra denſum.
Et tamen a nobis mage tunc ea ſidera diſtant,
Alti quam cum ſe ſuſpendunt cardine cæli.
Nam duo mole pari haud æquis ſi corpora diſtent
A nobis ſpatiis, debet minus eſſe videri,
Quod magis abductum eſt, majore ſed augmine contra,
Quod propius: quoniam extremis de finibus hujus
Emiſſi radii ſeſe breviore ſecabunt
Percurſo ſpatio, coëuntes ſcilicet ambo
In noſtris Oculis; idcirco major hic extat
Angulus ipſorum, quam extremis ejaculati
Corporis alterius, quod longe diſtat, ab oris
Quem faciunt radii: quoties minor angulus ergo eſt,
Apparet toties minor ejus corporis auctus;
Nam minor ipſius depingitur intus imago.
Porticus idcirco, cum ſumma a parte videtur
Longa, pari quamvis hinc inde ſtet edita ductu,
Paulatim anguſti tamen in faſtigia coni
Contrahitur jungens ſupera imis, dextera lævis.
Et quoniam arctatur ſpatio majore locorum
Angulus hic; poſſunt adeo diſtare remota
Corpora, uti ſpatiis vaneſcat denique magnis
Angulus omnis, & omnis item quoque corporis auctus;
Illud ut exiguo tantum par eſſe videri
Puncto poſſit: uti ſunt cælo fixa micanti
Sidera, quæ ſpatiis immanibus edita diſtant.
Tum quoque ſi longe multangula corpora ſpectes,
Quadrataſque procul turres, fit, ut eſſe rotundas
Dicas, ſi qua fides Oculis eſt: namque videbis
Tornatæ in morem molis conſtare rotundas:
Aſperitatis enim, cum longe eſt, angulus omnis
Diſperit, & ſenſum vaneſcens effugit omnem.
Non Oculis ideo valet ullus cernere nudis
Cornigeram Venerem, cum cælo cornua geſtat;

Cornua nam claro celat pudibunda ſub orbe.
Hinc conſpecta procul vultus plerumque decoros
Et virides annos oſtentat Fœmina turpis
Jamque anus, ut Juvenum teneros quoque ſuſcitet ignes;
Præſertim gemmis ſi incedat fulgida & auro,
Quales nocturnis collucent ſæpe theatris:
In vultu ſiquidem quidquid deforme videres,
Vaneſcit, primaſque tegit diſtantia rugas.
Proptereaque procul ſcopulos cum gurgite ab alto
Cernimus extantes, magnum diffunditur inter
Quos mare, qua claſſes poſſint tranſire, videntur
Una eademque procul vaſto conſurgere ponto
Inſula. Proptereaque etiam ſita corpora longe
Cum tuimur, quamvis moveantur præpete curſu,
Attamen in ſtatione manere videntur eadem:
Quandoquidem quidquid motu celerante locorum
Dimenſum eſt, propter terrarum millia multa
Interjecta, nequit ſenſum procudere nobis;
Uſque adeo nihil eſt collatum immanibus illis,
Queis diſtant, ſpatiis: ideo ceſſare videntur
Aſtra per ætherias & Sol & Luna cavernas.
Corpus item motum poterit ceſſare videri,
Cum motis æque atque ab eadem parte refertur
Rebus: at hæ citius ſi currant, ire retrorſum
Apparet, ſequitur quia ſegnius: illud at ipſis
Denique ſi rebus, quibus a Cernente refertur,
Sit velox magis & pernix, videatur, oportet,
Tantum, plus celeri rapitur quantum impete, ferri.
Conſimile eſt, vehimur cum nos per cærula puppi;
Ire videntur enim ripæ, præterque volare
Et nemora & colles circum: properante relati
Namque Oculo variis reſpondent rebus: ob hanc rem
Apparent celeri motu in contraria ferri;
Cum nos in puppi videamur ſtare quieta:
Percipimus ſiquidem nos motum ab imagine mota,
Quam radii pingunt coëuntes intus in ipſis
Concuſſis Oculi fibris; aſt illa movetur,

Corporis atque Oculi properanter continuoque
Si situs inter se mutetur: namque necesse est
Tum varias Oculi radium percurrere partes.
  Corpora perceleri motu vibrata videbis
Totum, per quod eunt, spatium complere; velut cum
Ligna manus celeres ignita coruscat in orbes:
Igneus orbis enim simul apparebit; in ipsa
Quandoquidem membrana Oculi quæ plaga repente
Luminis impressa est, deleri tempore puncto
Non valet; at paulum species illapsa moratur.
  Denique, cur Oculis non corpora bina duobus
Aspiciamus, habe: fieri non posse putandum est
Propterea, quoniam nervus concurrit uterque,
Ex Oculis prius ac cerebri pertingat ad oras:
Atque ita Mens æqua pariter vi & tempore eodem
Percita utrinque unam vim tempore sentit eodem:
Binis proinde videns Oculis rem percipit unam.
Una videbatur nec tum minus Inachis Io,
Illam Oculis centum Custos cum cerneret Argus;
Quam tu Trinacriam ludens Galatea per actam,
Nequidquam periit cum te Polyphemus ab alto
Vertice conspectam, media cui fronte micabat,
Unicus ut cælo fulget Sol, unicus orbis.
  Quod si forte Oculo manus uni subdita subter
Pressit eum; quoniam parti tum nervus ab illa
Fit brevior, perfert neque eodem tempore motum
In cerebrum; rerum, fit, ut omnia bina tuamur,
Bina coruscantis florentia lumina flammæ
Oraque bina Virûm duplicataque corpora vulgo.
  Possumus hoc alio fieri quoque dicere pacto.
Cum quid conspicimus nimirum, vertimus ambas
Sic acies illuc, ut, ab his prodire repente
Si qua putes recti radiorum lumina fingens,
Non hæc conveniant, nisi punctis corporis isdem;
Atque ita propterea corpus Mens concipit unum.
Non aliter, quam si dextræ lævæque duobus
Conjunctis tangas digitis rem quamlibet, una

Diversis, res ipsa quidem quos postulat, artus.
  Atque ita tum motu, qui jam per membra rigatur,
Pro vario varii quoque sensus exoriuntur:
Cum quid enim insuetum nobis sese objicit, intus
In cerebro insuetas quoque protinus aura vaporum
Procudit formas; quas excita percipiens Mens
Tantum suspensa a mira novitate tenetur:
Hoc Admirari nos dicimus: inde necesse est,
Aut oriatur Amor, si res percepta videri
Conveniens potis est, Odio tentetur ab acri
Aut Animus, si res nobis inimica repugnet.
Mens porro Desiderio configitur ejus,
Si careat, quod amat, potiundi, & noxia contra
Quæ sunt, vitandi: tum si succedat utrumque,
Gaudet; mœrenti tristatur at ægra Dolore,
Si bona nec teneat, fugiat neque noxia contra.
  Hoc ut pernoscas melius, rem pluribus audi.
Res ubi commovit Mentem nova, protinus illam
Admirantem in ea suspendier experiere,
Prorsus & insuetis defixam hærescere formis.
Ingens auraï tum copia cogitur illam
Mobilis in partem, qua sunt simulacra, cerebri,
Et magna circum celerans vi funditur: illinc
Deinde fluit nervis in sensus, mira recepta est
Per quos effigies, ut tensi non moveantur,
Immotique situ persistant prorsus in uno,
Donec in insueta Mens hæret imagine rerum.
Usque adeo interdum vis undique magna vaporum
Cogitur in certos sensus sedemque cerebri,
Ut nequeat prorsus pars corporis ulla moveri;
Multa quandoquidem deserta est omnis ab aura,
Hinc Stupor exoritur, qui sensus membraque vincit,
Prætereaque nihil rerum, quæcumque lacessunt,
Percipere ullarum Mentem sinit; usque adeo re,
Immemor ipsa sui quoque, fixa moratur in una.
Noxius hic Stupor est: ast a novitate teneri
Defixum, atque diu miris hærescere rebus
Juve-

Juverit; hinc quoniam rerum natura novarum
Longum Admiranti tandem detecta pateſcit;
Altius & molli ſimulacra impreſſa cerebro
Hærent nec morbo longis delenda nec annis:
Utile quod multis longe fuit inveniendam
Veri ad naturam & res funditus inſpiciendas,
Mirantem quamvis ignarum dicere poſſis.
  Porro Amor eſt Animi motus, quo convenientem
Rem cupimus nobis, atque in bona pulcraque ſuavi
Ultro vi rapimur properantes jungier una,
Ac veluti pars ſint ea noſtri dimidiumque.
Dulcis Amoris hic eſt motus, jucundaque mulcet
Vis Animum, corpuſque vigens eſt: ſcilicet omnes
Leniter excurrens venis cruor irrigat artus,
Leniter & pulſans arteria mobilitatur.
Adde, quod in toto ſuavis calor æſtuat intus
Pectore; ſervatur ſtomachi tenor omnia in omnes
Ut poſſit concocta ciborum didere partes.
Denique corpus ita eſt affectum diſpoſitumque,
Difficile eſſe nihil prorſum ut videatur Amanti:
Nam ſimul ac Animum commovit amabile quiddam,
Protinus e cerebro multi fluit aura vaporis
In cor & ſtomachi nervos, ut pabula poſſit
Conterere, & motu ſanguis majore calorem
Excitet, & ſedes cerebri ſublatus in altas
Deſuper uſque novas animaï mobilis auras
Suppeditet: creſcunt ita cœpti & aluntur amores.
  Aſt Odii contra ſenſus fit, turpia, longe
Cum fugimus, quæ ſunt, ingrata & noxia nobis.
Tum vapor aurarum miſceri alimenta cruore
Vix ſinit, & motum tardat quoque ſanguinis obſtans,
Reddit inæquales & pulſus cordis, & ipſum
Efficit ut pectus frigeſcat: denique ſenſus
In nobis Odium triſtes & concit amaros,
Triſtis uti nobis vita & videatur amara.
  Præterea Deſiderio percellimur acri,
Cum quæ conveniunt nobis bona, & abeſſe videmus,
Quæ-

Quærimus, atque avidis ardemus poscere votis,
Perpetuoque ut adepta semel quoque tempore constent,
Cum volumus, semperque etiam ut contraria distent.
Si mala, quæ impendent, vitare, bonisque potiri
Posse videmur, & id facili quoque posse labore,
Spes erit: exoritur Metus arduum utrumque videnti.
Cum Desiderio flagrat Mens, irrequietis
Acriter impulsum cor motibus exagitatur:
Suppeditatur item vis auræ magna cerebro,
Inde loci totos quæ late fusa per artus
Mobilitat corpus, viresque educat ut omnes,
Efficit, & validis audax conatibus instet,
Rebus uti victor tandem potiatur amatis.
Magna facit quoque Spes, inhiat dum sæpe cupitis
Ardenter, vapor ut vi multa pectus inundet;
Proinde cruor cursu properantior usque citato
Circuit, & pulsus crebros ciet: ergo ubi magna
Spes animum attollit, fidensque Audacia surgit,
Crebra salit cor, pectus ab hoc distenditur amplum,
Celsius effertur caput, & procera tumescunt
Colla, micant oculi, pleno vox insonat ore
Altior, & totum se protinus expedit, atque
Sese agile in pugnas parat in certamina corpus.
Gaudia præterea fiunt, & amica Voluptas
Lætitiis animum demulcet & irrigat omnem
Suaviter illabens, molli præsentis imago
Cum cerebro est impressa boni: contraque molesto
Tristamur languore, malo præsente Dolentes
Cum premimur, mœstasque educit causa querelas.
Sæpe tamen fit, uti mœstique hilaresque sine ulla
Esse quidem causa nobis videamur; ut ægri
Cum sumus, aut nigro tempestas nubila cælo est,
Nubila Tristitia nobis mens ægraque constat,
Contra, nescio quæ, perfundunt Gaudia mentem,
Sanum si valeat corpus, cæloque sereno
Rideat alma dies: neque causam advertimus ejus
Lætitiæ: nihil illa aliud tamen esse videtur,

Quam,

Quam, quod sancitum est, animæ cum corpore fœdus,
Corpore uti sano valeat, languente sit ægra.
Est quædam in nobis tamen & mœrere Voluptas;
Quandoquidem tali cum sanguis & aura vaporum
Multa sit in motu, qualem percepta requirit
Res, & conveniat status illi corporis omnis;
Convenienter ab his menti se motibus esse
Suave erit affectam: nam mutua fœdera poscunt,
Sæpe ut corporeis Mens concors motibus extet.
Propterea in luctu cum nos sumus inque Dolore,
Propter Amicorum vel fata inopina vel ictus
Vulneris exceptos, tristes nos esse juvabit:
Tum, qui circumstant Solantes, odimus, atque
Verba recusamus, quæ non sint apta dolenti,
Suaviter unam animo, quæ lælit, commeditantes
Rem, neque ab hac patimur distracti avellier unquam;
Proinde Dolor magno tantum medicina Dolori est:
Nam facile aurarum est & sanguinis ire secundis
Motibus; at contra pugnando obsistere velle,
Sistere velle agiles nimirum protinus auras,
Velle quoque incœptos subito variare cruoris
Motus, velle statum demum mutare receptum
Corporis, haud aliud, quam vim cumulare dolorum, est,
Reddere difficiles luctus, conscindere vulnus.
Lugubre præterea carmen cænamque Thyestis
Funeraque Ajacis tragico cantata cothurno, &
Andromachæ questus, sævosque ab amore furores
Medeæ, Hippoliti & distractos curribus artus
Suaviter audimus, fremitusque irasque ferarum:
Corporeis quoniam jucundo cedere sensu
Motibus inclinat mentem Natura: Voluptas
Dulcis item nobis superata incommoda fraudes
Et maris & belli exhaustos memorare labores:
Suave videtur enim lethi vitâsse perîcla,
Jamque carere malis: quin & meminisse diu jam
Functorum Natos & dicta & facta Parentum
Juverit, & pictos illorum cernere vultus.

Nec


Nec nos contriſtant tantum mala noſtra, neque illa,
Quæ bona ſunt nobis, hilarant; verum utraque ſæpe
Nos aliena ſolent hilares & reddere triſtes.
Si bona contingant alii, quæ dira negavit
Sors nobis, & jure pari concedere poſſet,
Protinus Invidia miſere marceſcimus ægri:
Qua monſtrum in nobis non extat ſævius ullum;
Nam facit alterius re tabeſcamus opima.
Hinc Dolor infeſtat quoque mentem, ſcilicet alter
Quod rem poſsîdat, qua nos gaudere velimus,
Omnibus expulſis, ſoli, totaque potiri.
  Præterea inſontem cum cernimus inque merentem
Fortunamque pati triſtem, turbaque malorum
Sæviter urgeri; ſortem Miſereſcimus ejus
Indigno affecti gemitu, pariterque dolemus:
Proinde levare malis & vim lenire dolorum
Auxilio inſtamus miſeramque attollere vitam.
  Denique nos contra ſi quis ſtetit aſper, in acres,
Nec mora, perculſi rabie conſurgimus Iras,
Protinus & diros ulciſci ardeſcimus auſus.
  Plurima de genere hoc infeſto impellere ſenſu
Triſtitiæ poſſunt animum corpuſque ciere.
Tum gelido nobis in pectore contrahitur cor,
Sanguinis & motus langueſcit tardior, ora
Propterea pallent, ſolvuntur membra, tremit vox.
Fit quoque Triſtitiæ vim propter ſanguinis omnis
Motus ut interdum penitus ſiſtatur, eoque
Tempore deficiat quoque letho vita recepto.
Sæpe etiam Triſtes ſuffundere lumina flammis
Inſuetis, artus tremere, ora rubere videbis:
Scilicet irati cum ſunt, hos Ira colores
Excitat hos motus. Gemitus ſuſpiria crebri
Singultus fient etiam; nam multus ita ipſis
Stagnans ejicitur cruor e pulmonibus: inde
Guttatim ex oculis lacrymæ volvuntur in ora;
Palpebris quoniam liquor hic expreſſus inundat.
  Latius at reddunt cor Gaudia, vividiorque

San-

Sanguinis eſt multo motus; tum membra caleſcunt
Fortia; tum roſeo contingier ora colore
Ora genaſque videbis, & ambos lumine vivo
Fulgere flagrantes oculos, corpuſque valentes
Experiere repente novas acquirere vires.
Cum nimius tamen eſt hic motus Lætitiaï,
Sanguis abundanti pulmones impete complet
Uſque adeo, ut nequeat tum porro expellier inde:
Proin reſpirandi ſubito intercluſa facultas
Vitam improviſo ſolvit de corpore letho.
Pro Superûm ſedes! Mors non eſt unde timenda,
Si quoque Lætitiæ perimunt, & Gaudia mactant?
Utque feras cædes bellorum incendia flammas
Fulmina tectorum caſus malaſque ferarum
Præcipiteſque locos atque æquora naufraga ponti
Quæque adimunt vitam violento extrinſecus ictu
Plurima prætercam; nos intra funeris, eheu!
Quot cauſæ latitant? utinam numerare queamus:
Nam mala, quæ noſtrum valeant diſſolvere corpus,
Non poſſunt numero conſtare, niſi innumerali.
Undique aperta patet via Mortis, & undique lethum
Imminet, ut merito mortalia ſæcla feramur
Eſſe Homines, diras tot noſtro in corpore peſtes
Qui gerimus; vitæ nil ut promittere nobis,
Quamlibet & juvenes & forti corpore freti,
Poſſimus celerem venturi in temporis horam.
Nam neque præduri conſtamus marmore ſaxi,
Non adamantina ſunt non ærea corpora nobis,
Corpora, quæ poſſint durando vincere vires
Temporis, & longos ævi contemnere curſus;
Sed partim ſolidis partimque fluentibus atque
Mollibus & perquam finxit Natura minutis
Principiis Homines, varios ut flectere ſeſe
Poſſint in motus, ut ſenſibus omnituentes
Utantur multis, ut alantur, ſæcla propagent
Ut ſua, de genere hoc facere ut quoque plurima poſſint,
Quæ facimus, fieri vitæ quæ poſtulat uſus.

Qua-

Quare ſeu nimius cibus ingravet, ipſe nocenti
Exedat, aut ſucco, vitium ſive aëris intus,
Sive inimicus aquæ turbet liquor, inficiatque,
Corpora ſincero ſive inſinuata cruori
Adveniant alicunde, & eum corrumpere tentent,
Denique de minimis ſeu quælibet innumeriſque
Pars validos tandem motus ſolvatur ob ictus,
Atque ſitu peccet mutato principiorum;
Impliciti morbo tentabimur atque dolore.
Tunc ea ſi morbi vis arte potentior omni eſt,
Nequidquam ad vitam turba revocante Medentum,
Correpti letho vitam exhalabimus ipſam
Linquentes artus immotos frigida membra.
Seu Reges, magnis ſeu Gentibus imperitemus
Victores populorum, & multis multa paremus
Commoda divitiis, Sapientum ſeu teneamus
Templa ſerena, minus nihilo tamen eſt obeundum,
Ac ignota Virûm ſi Pubes terrigenarum
Simus, & effuſi triviis pars ultima Vulgi.



LIBER SEXTUS.


Ac luſtrare tenus Naturæ impervia vulgo
Regna ſat eſt: inſtant alii ſubeuntque labores.
Dicendum, quæ ſumma Boni ſit Finis, & illuc
Qua ratione viæ poſſimus tendere certa;
Quid juvet, ad vitæ quid contra dona beatæ
Officiat nobis. Felices! vel quibus unum id
Scire datum, quamvis ignorent cætera prorſus,
Quæ ſunt cumque; etenim Solem Lunamque meantem
Et numerum Aſtrorum varios & noſcere motus,
Scire poteſtates Aurarum & mobilis Ignis
Undarumque liquentum, & qua ratione gerantur
Omnia, quæ cælo peragi terraque videmus,
Dulce ſit id quamvis atque ad res utile multas,
Attamen ad vitæ quidnam momenta beatæ,
(Hæc etenim rerum ſumma eſt) quid contulit unquam?
Tu mihi tu cœcam divinæ lumine lucis
Ingredere, O, Mentem, SAPIENTIA, conſilioque
Nutantem rege, Diva, tuo; da nectaris hauſtus
Ætherio de fonte, rigas quo corda Tuorum,
Unde fluunt ſanctæ Leges, æternaque Jura
Juſtitiæ manant. O Juſti Mater & Æqui,
Tu, precor, erranti certum, quo currere poſſim,
Præmonſtra ſpatium; Tu cor tu noſtra ſuperno
Ora move afflatu, valeam ut tua dicere quæ ſunt,
Et facere, at potius facere: hæc ſunt ultima vota.
Principio extremus qui ſit, quo tendimus omnes,
Finis, quæque Boni ſummi natura, videndum:
Harum notitia ſine rerum namque fateri
Eſt opus inſtitui vitam non poſſe, nec ulla
Formari mores Hominum ratione regique.
Haud ſecus ac cæli ſi qua ſit parte locata,

Ignores, regio, quo debes tendere, nunquam
Poſſis carpere iter, quod recta protinus illuc
Te ducat, reddatque loco: namque ipſe ferare
Avius a vera longe tellure neceſſe eſt.
  Nec vero quemquam mentis contendere ſanum
Poſſe putem, nullum Finemque Bonumque videri
Naturam ſæclis Hominum mortalibus ipſam
Summum atque extremum poſuiſſe, at quemlibet illuc
Tendere, quo lubeat, quo raptet cœca voluptas.
Talia qui fingit, veſano effutiat ore
Multa, licet, ſimili ratione: haud eſſe potentem
In rebus Dominum, præſit qui providus Orbi,
Omnia fortuitis ſed Caſibus edita dicat
Conſtare, atque eadem ſervari a Caſibus iſdem.
Quod quoniam a vera quantum ratione recedat,
Jam ſupera oſtendi tibi primo in carmine, totamque
Hanc rerum Summam, quam vaſta eſt quantaque, totam
Eductam e nihilo divina a Mente probavi,
Quid ſupereſt? niſi, non temere & non forte creatos
Cum videas Homines ſumma at ratione, putare
Certum directos in Finem hos eſſe Bonumque,
Scilicet extremum in Finem, ad quem cuncta referri
Eſt opus, a nobis quæ fiunt cumque (neque ipſe
Præterea rem ſe ſupera referatur ad ullam),
Scilicet inque Bonum ſummum, quod propter avemus
Cætera, at hoc ſeſe propter longe omnia ſupra
Expetitur: noſtræ hoc naturæ convenit apte,
Et juvat: hoc illud, quod nos inquirimus omnes.
  Ardor hic in nobis ita funditus inſitus hæret,
Ut deſiderio non poſſit noſtra Bonorum
Averti (quamvis ultro petat illa) Voluntas.
Expetit illa libens; aſt, ut petat, uſque neceſſe eſt.
Nonne vides ſuavi pariter pariterque potenti
Quam regat imperio Naturam providus Auctor?
Scilicet impellit nos in Bona noſtra, nec ipſi
Ulla reluctandi nobis conceſſa facultas:
Non minus at ſuavi rapimur ratione, ſuumque

Impulsum sequimur cupide nimis atque volentes;
Ac velut, ex alto lapidem cum vertice turris
Viribus impulsum magnis magnoque coactu
Projicimus deorsum, ruit ille per aëra præceps,
Et quamvis nequeat non labier, attamen ultro
Labitur, & terram celerans gravitate petissit.
  Ergo correpti vitæ felicis amore
Quærimus usque avidi Bona rebus in omnibus omnes
Ardenter: nam sæpe licet videamur in ipsis
Rebus velle, prius quæ valde ingrata fuere,
Contra, quæ nimium placuerunt ante cupita,
Longe aversari, & mutarier omnibus horis;
Attamen oblito nunquam, quod quærimus unum,
Effugit ex animo, ut felices esse velimus,
Inque Bonum ruere amplexu, & conjungier una.
Propterea, cum res varie mutentur, oportet,
Tempore pro vario gratæ videantur ut esse
Ingratæque; ideo nunc aversamur easdem,
Nunc cupimus nobis; epulas ut rejicit a se
Jam Conviva satur, vacuus quas ante petebat.
  Impia præterea cui turpant crimina vitam,
Esse bona ex aliqua debent ea parte videri:
Nam vel jucundo mentem præsentia sensu
Concutiunt, specie seu captant utilitatis;
Esse Bonum stulte multis quod utrumque videtur.
Per fas atque nefas ideo, si dira libido
Pinnigeri stimulis mentem percussit Amoris,
Raptantur; si cœca sitis commovit habendi,
Fraudibus atque avidi multo rem sanguine conflant.
Vel sibi qui tristi consciscunt pectore lethum,
Non facere hoc alia tum causa posse putandum est,
Quam quod avent sitiuntque, Boni: namque acris egestas
Turpis item fama & contemtus vitaque cœno
Se velut involvens letho pejora videntur;
Proinde putant finem cunctorum hoc esse malorum.
  Nil faciunt Homines in vita denique, quidquid
Illud sit, fieri quod ab his tueare, vel in te

Experiare, Boni niſi ſummi propter amorem.
Aſpice dentatam, quæ ſignat tempora, molem,
Quam variis varii volvantur motibus orbes
Intus, & excurrant varia regione, rotarum;
Et tamen una movet major rota primaque cunctas
Mobilis, hinc motus cum tempore profluit omnis.
Sic quoque multa gerunt Homines, variiſque moventur
Rebus, at ex una tamen omnia origine pendent,
Quod ſibi quiſque Bonum ſummum velit, appetat unum.
Summum deinde Bonum nil novimus eſſe, niſi illud,
Quod bene cum teneas, aliud non amplius optes:
Omnia quandoquidem, quæ ſunt bona, continet unum
In ſeſe; ſiquidem ſi quidquam forte bonorum
Deficeret, ſummum non eſſet protinus illud.
Omnes ad vitam proin tendimus undique, quotquot
Sunt ea, cunctorum cumulatam merce Bonorum.
At plerique ſua properant ratione; nec una
Omnibus eſt via: nam certo de tramite pellit
Palantes variis illudens partibus error.
Multi cum videant ſummum, nullius egere,
Eſſe Bonum, ſolas illud præſtare putantes
Divitias, inhiant quærendo protinus auro
Inſatiabiliter. Summum reverentur (ut æquum eſt)
Jam quoniam plerique Bonum (venerabile namque eſt)
Certant ad magnos avidi ſuccedere Honores;
Seque putant ideo, cum ſunt in Honore, beatos.
Noſcentes alii, cui ſumma Potentia, ſummum
Eſſe Bonum, fieri ſubito voluere Potentes,
Seu Reges magnis ſeu Regibus eſſe ſecundi.
Præterea haud pauci cupiunt vel pace vel armis
Vel quovis magno claros ſe reddere facto,
Sublimi rapiens quos ingens Gloria curru
Evehat in cælum, ſummoque in culmine Famæ
Collocet. Eſſe Bonum multis res denique læta
Cum videatur (& id jam debeat eſſe videri);
Propterea fit, uti, jucundum eſt quidquid, anhelent,
Inque Voluptates ardeſcant quaslibet: illæ

Quandoquidem, ut rentur, lætos redduntque beatos.
His plerumque viis fuerunt incedere, Finem
Queis iter ad summum est: sed, uti Gens ebria, cœcam
In loca num recto per noctem tramite pergant,
Haud norunt, atque incerta regione vagantur.
Quantum & diverso properent, age, percipe, cursu.
Principio Dites felicem degere vitam
Qui putat, hic non est opulentæ, nec fuit unquam
Numine Fortunæ aut Pluti lætatus amico,
Quandoquidem, quid sit dives nummataque vita,
Ignorat. Veras utinam de pectore voces
Ejicerent illi, quibus est res ampla; fateri
Deceptos rerum a specie & fulgoribus auri
Protinus audires, miseros quibus esse necesse est
Haud minus, ac inopis si vitæ incommoda ferrent.
Scilicet haud Hominum dives Fortuna quit unquam
Naturam mutare, Deûmqne in conditionem
Vertere præclaram, nihil ut miserabile prorsus
Accidere in vita queat & turbare dolore.
Non fulvo morbi & febres reverentur in auro
Fulgentem, neque Mors donis captatur opimis.
Ast ea, naturæ quæ sunt communia nostræ,
Ut sileam demum; pro! quanta incommoda solis
Restant Divitibus, noctes vigilare diesque
Semper, & exangui misere tabescere cura,
Ne quid de cumulo desit pereatque, labore
Quod partum ingenti; servos incendia fures
Formidare malos, & nulli fidere: semper
Pascere se demum, positisque quiescere votis
Nunquam; & divitias optare atque addere partis
Usque novas, nullis explere at pectora rebus,
Consimile est morbo, sitiens quo postulat undam
Æger, ab affusa sed plus sitis æstuat unda;
Consimile est etiam pœnæ, quæ prodita vulgo
Fertur, ubi sedes Furiarum, Acheronte sub imo,
Immani pœnæ, pertusum scilicet in vas
Congerere æternum laticem, replereque nunquam.

I nunc,

I nunc, posse puta Dites nullius egere,
Queis, quo plura tenent, atque auri pondera crescunt,
Crescit opum desiderium, & proin crescit egestas.
Præterea ut felix prorsus sit vita necesse est,
Tempore perpetuo constet mansura, nec ullos
Formidet tristes, qui vertant omnia, casus.
Ergo felicem vel possint cætera vitam
Reddere Divitiæ, tamen illa a parte videmus
Deficere, instabiles quoniam sunt, longa nec, illæ
Queis maneant, nobis promittere tempora quimus;
Cum tueamur, uti modo res attollat in amplas
Tot ridens Fortuna Viros, modo nubila vultus
Atque irata truces ostendat, & omnia vertat
Turpi in pauperie mergens, vacuosque relinquens.
Quare iterum atque iterum ratio manifesta refutat
Summa in Divitiis quod sint Bona vitaque felix.
At quoque non Tituli Fasces Insignia, quidquid
Attonito vulgus crepat ore, atque evehit astris,
Efficiunt dignos hoc, quo funguntur, Honore,
Ut poscit natura Boni, nec proinde beatos.
Si facerent, nullas foret unquam audire querelas,
Sæpe quod ingenti Gens extollatur Honore
Impia, præclaro quam indignam munere rentur.
Quin & proinde Malis præclari majus Honores
Dedecus adjiciunt; quoniam magis impia facta
Sublimem multa patefactæ luce diei
Nequitiam illustrant, melius quæ ignota lateret..
Propterea dignos num cultu, propter Honores,
Indignos quos remur Honoribus, esse putandum?
Quæ magis ut videas, age, magno munere functus
Quantumvis, Titulisque gravis si forte remotas
Deveniat terras & longe barbara regna;
Num subito facient venerandum gentibus illis
Fasces atque alii, quibus hic fulgebat, Honores?
Namque ut flamma calet terrarum ubicumque, nec usquam
Candida nix non est, non cæli lucida signa;
Sic quoque præclari venerandum reddit Honoris

Si natura Virum, talis sit ubique necesse est.
Quod quia non fieri manifestum est, nullus Honoris
Est decor, instabili referuntur at omnia Vulgo.
Propterea varii vario pro tempore cessant
Plerumque, & primæ fulgorem denique lucis,
Si libeat Vulgo, nec longo tempore perdunt.
Scilicet arbitrio populi surguntque caduntque
Et non re constant sed nomine; fingimus illos
Ipsi, & propterea quia fingimus, esse putamus.
Ergo cum propriæ naturam lucis Honores
Non habeant, subito venerandum ut reddere possint,
Qui potiatur, & hunc possint formare beatum;
Non erit, ut valeant prorsus Bona summa vocari.
Tum cui major Honos unquam aut præclara Potestas
Contigit in terris major, quam Regibus ipsis?
Desine propterea sed credere, Regna beatos
Quod faciant, Regumve favor. Num tristibus ætas,
Hoc genus, exemplis ulla est, præsensne, vetusne
Quæ vacet? in terris quis Rege potentior illo
Unquam visus erat, Superi, qui tanta Virorum
Millia conjunctis sub signa coëgerat armis,
Ut prope desertum totum jam crederet Orbem,
Ponte injecto Asiam qui junxerat Europamque,
Et pedibus siccis calcaverat Hellespontum, &
Velificârat Athon dirum tibi Græcia portans
Diluvium armorum? tandem victusque tremensque
Vix puppe exigua conspersus cæde suorum
Fugit, & extremis regni sese abdidit oris.
Hæccine Regnorum Regumque est summa Potestas,
Quæ nequit incolumem sese servare suumque
Imperium? persæpe suum quæ luget honorem
Sub pedibus Vulgi, cupide quod proterit omne
Conculcans, quod jam magnum nimis ante timebat?
Edita nimirum, ceu fulmine, sæpe vaporant,
Conque teruntur; uti multo parere quietum
Sit satius, velle imperio quam regna tenere.
His permulta potes vetera atque recentia rebus

Sup-

Suppeditare tibi (ſcis namque) exempla probandis;
Donec luce palam conſtet non eſſe Potentes,
Quos penes imperium populorum eſt. Parte revolve,
Si vacat, ex alia quoque rem, & ſic inſpice mecum.
  Dicere Felicem nequeas ſummeque Potentem,
Si quid deficiat, quod haberi poſſit: at ipſos,
Qui populis vario late ſub ſidere cæli
Imperitant, tantum ſua nunquam extendere poſſe
Regna videbis, uti non ſemper plura ſuperſint,
Quam teneant; inopes ideo videantur, oportet,
Eſſe prius, ſumme quam propter regna Potentes,
Plura poteſtatem longe cum ſemper ad illam
Deficiant, quam quæ regnando poſſideantur.
Audin Pellæum Juvenem, cui tota ſubacta eſt
Cum terris Aurora ſuis, cui paruit Orbis,
Flere tamen, triſteſque e corde educere queſtus?
Scilicet anguſto terræ quod limite Regna
Arctârit Natura ſibi ſua: namque putabat,
Democriti quod priſca docet ſententia, multos
Eſſe alios aliis Summaï in partibus Orbes
Atque alias etiam gentes & Sæcla virorum
Non a ſe vincenda ſuique expertia juris.
Indoluit, quod eo ſeſe minus eſſe Potentem,
Longe quo partis ſupereſſent plura, videret.
  Adjice præterea pacem turbantia bella,
Tot comites Regum curas ægroſque timores.
Hicne Potens, multus cui cingit utrumque Satelles
Hinc atque inde latus, cui nil fidum nec amicum eſt,
Qui quos regali terret gravitate, viciſſim
Territus ipſe magis metuit? non pocula læta
Non cantus Siculæque dapes ſonituſque juvabant,
Cui cervice ſuper pendebat fulgidus enſis
E tenui filo; pallebat morte propinqua
Attonito ſimilis. Nunc regnis fide, Potentem
Quæ te jam faciant, & reddant proinde beatum.
Nunc & Amicitiam Regum pete; ſcilicet illa
Una ſæpe ſuos evertit lapſa ruina,

Sæpe quoque incolumis (res eſt male tuta) Poteſtas.
Præterea clarum quæ tollit Gloria nomen
Non levis & fallax non futilis ipſa? putabis
Scilicet hoc pulchrum, volitet quod multa per aures
Fama tui, per & ora Virûm quod multa feraris?
At cupide id ſequimur ſtulti, ſic vivere multis
Poſt mortem ſæclis annorum poſſe putantes.
Aſpice, quos belli fluctus rapuere Virorum
Audaces animos contemtoreſque perîcli:
In cædes in fata ruunt, & pectore primi
Oppoſito certant violentæ occurrere Morti.
Haud equidem credo quod eum Natura furorem
Mentibus indiderit: placida nam pace quieti
Haud minus horreſcunt mortem, ac plebecula vilis.
Hos igitur ſubdit ſtimulos hos Gloria motus
Scilicet ardores hos excitat; illa laborum
Oblitos facit atque ſui; dat prodiga vitæ
Pectora, dum cupiunt potiori vivere vita:
Uſque adeo ignari ſectamur inania rerum!
Ac ſi jam quidquam vitai munere functos
Ad nos pertineat, noſtri num Fama ſuperſit,
Noſtraque num vivant æternis nomina faſtis,
Nomina cum ſonitu quoque prætereuntia vano.
Sed fac pertineat tandem; num Gloria ſumma
Illa erit in paucas nomen diffundere Gentes,
Claudere & anguſto regionum limite Famam;
Cum nequeas tota late innoteſcere terra,
Quantulacumque fuat, ſed ſemper pluribus ipſe
Sis ignotus? edax quoque multis efficit annis
Tempus, ut omne tui pereat nomenque decuſque.
Inclita facta Virûm toties cecidere tenebris
Obſita, nequidquam monumentis tradita Famæ.
Nobilitatis item decus annumerabis inanes,
Hoc genus, inter res, quæ ſolo nomine conſtant:
Nam nihil eſt aliud, quam Laus præclara Parentum:
Tota aliena igitur non ad nos pertinet hilum.
Hoc bona Nobilitas tantum, quod cogat eandem,

Quam

Quam Noſtri tenuere, viam Virtutis inire;
Ne fors degeneres multum videamur ab illis,
Quorum præclaro laudum fulgore nitemus.
Quanta Voluptates dicam bona denique nobis
Corporeas? deſiderio cum flagrat earum
Mens, tunc & curis repletur & anxietate.
Poſterius vero, ſi demum forte potita eſt,
Pœnitet illarum: ſeſe Mens ipſa remordet,
Dum perit in luſtris, & turpes exigit annos
Deſidia in tanta; carpuntur vulnere cœco
Vires, & morbis gliſcentibus intabeſcunt,
Et curæ ſævique dolores inveteraſcunt.
Labitur interea res famaque; ſcilicet hi ſunt
Nequitiæ fructus. Si poſſunt iſta beatos
Efficere unquam Homines, Naturæ intendere juſtam
Ceſſamus litem & contra inclamare querelis,
Omnia præpoſuit quod denique ſæcla ferarum,
Et dedit eſſe magis multo felicia nobis?
Tum deſiderii quæ denique finis? an ille,
Pectore qui torquet crucians, reſtinguitur ardor?
Nonne nova ardeſcit magis uſque cupidine pectus,
Inque dies cœcus furor atque inſania creſcit.
Præterea tam nulla poteſt inimica videri
Res animo, quam quæ turbans veſana Voluptas
Obtundit vires Rationis, conſiliumque
Impedit & victæ præſtringit lumina mentis;
Turpiter ex homine ut demum jam bellua fiat.
Nempe hoc ſunt magici cantus, hoc pocula Circes
Sunt ea, quæ quondam Comites Ithacenſis Ulyſſei
In turpes vertere ſues, qui volvier imo
Gaudebant cœno & limoſa paſcier ulva.
Neve putes hirtas creviſſe in corpore ſetas,
Atque ora in nares fœde producta repandas,
Illarum & pedibus veſtigia preſſa biſulcis;
Mens ollis converſa Suum fuit in naturam,
Pro pudor! ingeniumque gerebat bruta ferinum.
Adde, quod ipſa ſuum ſimplex Natura pudorem

Ta-

Talibus in rebus fateatur: namque probrosis
Cœca libidinibus quærit loca, publica vitat,
Deprendique timet; se damnat scilicet ipsam,
Seque vel invitam tacite arguit, atque inhonesto
Conscia perfundit vultum persæpe rubore.
Usque adeo humanæ est Rationi inimica Voluptas.
Te facere hanc igitur felicem posse rearis?
  Denique te in quamvis, age, partem verte bonorum,
Suppeditare tibi quæcumque hæc vita videtur;
Haud unquam summa votorum in fine quiesces;
Semper erit, quod deficiat, semperque quod optes.
Vis ea nimirum, qua nos impellit agitque
In summum Natura Bonum, movet irrequietam
Assiduo Mentem, nunc hac nunc jungier illa
Semper ut exoptet cum re, quam credit habere,
Quo sibi felicem tum possit fingere vitam:
Præsertim si quid magnum mirumque novumque
Objiciatur, in id rapimur vehementer aventes;
Nam fore, detur uti nobis tunc esse beatis,
Speramus. Quoniam vero natura bonorum,
Hoc genus, est, ut, si careamus, habere repente
Percupiat Mens; post subito si nempe potita est,
Tædeat illorum; pertæsi quærimus usque:
Hinc variare vices animo lubet, altera semper
Sectari studia, atque aliis rebusque locisque
(Usque adeone quies nobis haud ulla?) teneri.
Haud secus ac magnis vexatus febribus Æger
Continuo fessum mutat latus, atque revolvit
Huc calidos artus atque illuc, & loca quærit
Nequidquam; siquidem fastidit cuncta; nec usquam
Mollibus in stratis requies datur ulla cubanti:
Sic quoque de votis transimus in altera vota.
Dum, quod avemus, abest, longe id superare videtur
Cætera; post aliud, cum contigit illud, avemus;
Et sitis in vita semper nos torret hiantes.
Haud tamen hoc ipsum longe non utile nobis;
Quærere nimirum semper, quod deficit, ægroque

Esse

Eſſe animo, nulliſque diu requieſcere rebus,
Ex omni nequeant quæ reddere parte beatos;
Ut ſic jam ſpecie falſorum & fraude bonorum
Detecta, Verum tandem Summumque quod extat,
Mens animo queat atque ſuis contingere votis.
  Quare tam longe abducit nos devius error
Propterea; quoniam, cum ſimplex unaque ſummi
Sit natura Boni, disjunctum quærimus illud
Nos tamen in rebus: namque illa Potentia ſumma eſt,
Quæ nullius egens ſibi ſufficit, unaque Clara,
Et ſumme per ſe pariter Venerabilis una eſt,
Lætaque, gaudendi quæ cauſas invenit in ſe:
Nam ſi deficeret quid eorum, haud indiga rerum
Non foret. Ergo Boni ſimplex natura videtur
Unaque. Quis tanto, Superi, nos munere donet,
Ut nihil optandum jam plenis deinde ſuperſit?
Quis? niſi, quod Summum eſt quod Simplex deniq; & Unum.
Nil aliud porro Simplex Summumque, niſi ingens
Numinis, ut docui, Natura eſt. Ergo neceſſe eſt
Eſſe Deum nobis ſummum Finemque Bonumque.
  Præterea quidquid finitum eſt, quamlibet amplum,
Noſtra explere poteſt haud unquam corda: valemus
Ulterius quoniam quoque vota extendere ſemper.
Quidquid inexhauſtum eſt quapropter & infinitum,
Id noſtram ſatiat naturam Animumque capacem;
Quandoquidem nihil eſt, quod quærat & appetat ultra.
  Hoc igitur Deus eſt, felices reddere tantum
Qui valet, & penitus ſatiare ardentia vota.
Ille Boni Fons omnis & omnis noſtra Poteſtas
Gloria Divitiæ Decus omne & plena Voluptas,
Noſtrorum ille Quies Animorum denique ſumma eſt.
Quare tum vita dabitur gaudere beata,
Cum ſummo Mens noſtra Bono potietur; at illo
Non valet hæc ulla certe ratione potiri,
Ni videat, quod amet, ſummoque in amore quieſcat.
  Scilicet hæc miſera defunctis gaudia vita
Ultima debentur; neque enim contingere tanta

Poſ-

Poſſumus in terris, nec ſummo hic Fine potiri.
Haud minus at miſeros inter magnoſque labores
Fortunæque vices & vitæ incommoda multa
Eſſe datum eſt aliqua ſaltem ratione beatos,
Etſi non ſumma, & felici vivere fato.
Id fit, ubi ſana & tranquilla mente vigemus.
Sana quidem Mens eſt, cum recte judicat ipſa,
Quodcumque ad noſtros in vita pertinet actus;
Ut bona ſectetur, fugiat contraria quæ ſunt:
Tranquillæ pariter lætatur pace quietis,
Stultis ſi careat votis & inanibus, atque
Temperet affectus, magnis qui ſæpe furentes
Infeſtant animum turbis; ſit denique conſtans
Semper, & anteactæ nullius conſcia culpæ.
Scilicet hanc Sapiens vitam ſibi comparat omnis;
Atque ita divinæ prælibat gaudia pacis.
Lætus, Io, clamat, ſi quando Navita cœcam
Per noctem nimbis purgatam ſuſpicit Arcton,
Quæ longum nigra ſub tempeſtate latebat;
Illo jamque regit certos ſub ſidere curſus.
Sic quoque lætitiis, age, noſtra attollere magnis
Mens, omnis cui ſumma Boni jam cognita Finis.
Inſpice, quo tendas, & recto ſiſte viaï
Tramite te, certumque in cælum luce ſub illa
Perge iter, ut ſummæ tandem felicia pacis
Littora contingas. Auras, age, poſce faventes.
Nunc tibi cum ſummi jam meta noviſſima Finis
Conſtet, ad hanc omnes cum Mens quoque debeat actus
Dirigere, illorum naturam oſtendere par eſt,
Qui ſint; quæ porro ſit eorum regula, ſummum
Dirigat in Finem quæ certa lege, videndum.
Principio, humanum, nihil eſt, quod dicimus Actum,
Quam quod conſulta fit cum ratione: jacentes
Somno propterea ſi quid tractare videmur,
Vel ſine conſilio mentis vigilante, neceſſe eſt
Id non humano fatearis more peractum.
Plurima præterea ſunt, quæ Mens intima tantum

In-

Intra se peragit: quoque sunt, quæ extrinsecus edit.
De genere illorum primo felicis amorem
Intus habet vitæ; rationes quærere porro
Instat, queis teneat, quæ sunt bona, noxia vitet;
Atque ita consultans deliberat, eligit unam
Præ multis tum deinde viam; cum fine potita est
Denique, jam suavi fruitur dulcedine victrix.
 Motibus externis quoque dat, sua cuique, Voluntas
Principium, & multi motus per membra rigantur,
Ut Mens ipsa tulit. Non est tamen ista potestas,
Cui pugnare quidem contra atque obsistere quidquam
Non queat; in servos Domini quam nempe potentes
Exercent; sed, uti sua Reges regna gubernant
Subjectosque sibi Populos, ita Mentis aguntur
Imperio nostræ sensus & subdita membra:
Subdita; nam multos magno conamine quamvis
Corporeos potis est motus sedare Voluntas,
Attamen interdum penitus non impedit illos,
Atque refrænat, ubi vi multa sæpe cientur;
Nec valet: usque adeo sævi plerumque tumultus
Diraque seditio magno se concitat æstu.
Haud tamen infesto commotam turbine Mentem
Corripuisse valent & victam cogere flecti,
Si tamen ipsa libens non cedat, at usque repugnet.
Hæc est, quam nostro sentimus corpore legem
Sæpe reluctantem supremæ legibus æquis
Reginæ, nisi cum victam se dedidit ultro.
 Præterea per se faciet nihil ipsa Voluntas,
Rem nisi, quam facit, & finem Mens noscat agendi,
Et quæ circumstant, & in id quoque sponte feratur.
Quapropter Vis est atque ipsa Inscitia rerum,
Qua sæpe a nobis nolentibus invitisque
Multa geruntur: uti nigras in carceris umbras
Cum quis vi rapitur, quamvis eat, ire videtur
Ingratis. Non internis tamen ulla potest vis
Actibus inferri: neque enim inviti quid amare
Possumus, aut odio contra quid habere coacti:

Tunc

Tunc etenim nolletque volens, invitaque vellet,
Quæ veris pugnare vides manifeſta, Voluntas.
Quare agit in noſtram cum vel divina Poteſtas
Sæpe Voluntatem, non cogit, at efficit, ultro
Ut velit, immutans, & de nolente volentem
Reddit. Item Metus eſt, quo nos plerumque coacti
Quid facimus; veluti deprenſi forte latronum
Inſidiis multum redimenda effundimus aurum
Pro vita. Non eſt penitus tamen ut videamur
Id facere inviti, ſiquidem pejora volentes
Declinare: velut merces cum projicit altum
In mare, quod nigris ferviſcens æſtuat undis,
Naufragium metuens; nam longum vivere pauper
Vult potius, pauperque domum nuduſque reverti
Navita, quam tota dives cum merce perire.
Nonne vides gemina quam fortiter aſpide pectus
Sauciet exoptans lethum Regina Canopi?
Exoptans potius lethum, quam victa ſuperſtes
De ſe ut Romuleos poſſit ſpectare triumphos
Victoriſque truces vultus, religataque curru
Ducier, atque ſuo pompas augere latinas
Dedecore: hinc mortem jam non invita ſubivit,
Barbaraque eſt Mulier Romanum imitata Catonem.
 Quas ignoramus, quoque res non ſponte geruntur.
Dum nemora & montes venatu agitaret apricos,
Contectam Cephalus foliis & ceſpite denſo
Vidit poſt dumos latitantem arbuſtaque Procrin
Forte ſuam infelix, timidamque, heu triſtia fata!
Credidit eſſe feram: certo tum protinus ictu,
Ut ratus in prædam, contorquet miſſile telum,
Et ferit: humanam propior jam denique vocem,
Uxoriſque ſuæ miſer, ah miſer! ora notavit,
Oraque, ſupremaque errantia lumina morte.
Cauſa quidem lethi Cephalus fuit; attamen inſons
Invituſque ſuos ſub Tartara miſit Amores.
 Mens porro vult ſponte tamen non libera ſemper
Plurima: Libertas ſiquidem nihil eſſe videtur,
Quam

Quam res posse agere, & contra, velut ipsa tulit Mens,
Non agere: hæc nostræ jam porro in utrumque potestas
Dicitur Arbitrium Mentis; quo sæpe caremus,
Scilicet in summum cum Finem tendimus omnes
Extremumque Bonum: namque illud oportet amare;
Quandoquidem nos esse necesse est velle beatos;
Id cupide quamvis & semper sponte velimus.
 At non Arbitrio, non Libertate caremus
Rebus item in multis, quæ non Bona summa videri
Esse queunt, aliqua sed deficientia parte:
Nam quoniam partimque bonæ partimque videri
Esse malæ possunt, optari posse fatendum est
Propterea a nobis, & contra posse repelli.
 Hoc ita conspicuum Mens conscia vociferatur
In nobis, ut nulla queat res vincere contra,
Desipere insano non illos corde putantes
Esse opus omnino, Mens semper ut ipsa necessum
Intestinum habeat cunctis in rebus agendis;
Vel quia sidereis subjectam aspectibus illam
Rentur, & Astrorum certa sub lege teneri;
Sive quod, invicti ne rumpant fœdera Fati,
Tanguntur misera constricti relligione.
 Quod superest, quædam nostrum est Regula morum
Normaque, conferri cui nobis semper eosdem
Est opus, ut, qui sint, possimus noscere, recti,
Contra mendose qui fiant: namque vocamus
Illos esse bonos, qui primæ protinus apti
Per sese constant mensuræ, conveniuntque;
At pravos, olli qui dissensere, malosque
Dicimus. Æternæ jam summa est Regula Legis,
Ordinis æterni Ratio, & suprema Voluntas,
Edita qua constant Jura immutabilis Æqui.
 Hinc oritur, Legem Naturæ quam perhibemus;
Quæ nihil est aliud porro, nisi Rivus ab illo
Fonte fluens, nostramque illabens amne superno
Desuper in Mentem, quo sparsa rigataque novit
Protinus, æternus Legis quid postulet Ordo,

Quid

Quid renuat, Recti quæ ſit natura Bonique,
Quæque Mali, & quanto inter ſe diſcrimine diſtent
Prava aliis. Ex hoc igitur cognoſcimus omnes
Indocti doctique (docet Natura ſuperna
Nunquam luce carens) fugienda petendaque quæ ſint.
Prima tibi æternæ Præſcriptaque Scitaque Legis
Sunt ea, quæ memori fac preſſa in pectore ſemper
Fixaque ſint, tota vi mentis & impete cordis,
Atque animo ex omni nimirum Numinis, omne
Unde Bonum, ſummi ſupremam ſemper amare
Naturam, atque in eam votis ardentibus ire,
Et nihil hanc extra, verum nos noſtraque rerum
Mortaleſque alios hanc tantum propter amare.
Nam cum non alio res Auctor fine creârit,
Nec jam ſervet adhuc, quam ſeſe propter; oportet,
Ut, quem animæ impreſſit jam prima in origine motum,
Perpetuumque etiam modo ſervans imprimit, illum
Ad ſe, non alio direxerit, inclinanſque
Dirigat: hinc (ſiquidem fieri non poſſe fatemur,
Ut plus ille, magis quod amabile, nolit amari)
Condere non noſtram potuiſſet, quæ ſit amori
Apta, Voluntatem; niſi tum vertiſſet eandem
Ad ſeſe, ſummeque Bonum juſſiſſet amari,
Quod ſummum eſt; aliter rerum confunditur ordo.
Et quis enim eſt adeo a vera ratione repulſus,
Truncus uti & ſtolido conſtans e marmore moles,
Protinus ut ſeſe non intra ſentiat, ipſam
Nil aliud ſibi Naturam clamare, niſi unum
Eſſe Bonum ſumme, quod ſummum eſt, ſemper amandum?
Atque ut perpetuo ſine cordis vivere motu
Non valet humanum corpus; ſine amore Voluntas
Sic non eſſe poteſt, non vivere: corpus at uſque
Ut vigeat ſanum, menſura temporis æqua
Compoſitos ſemper motus cor edat, oportet;
Eſt itidem noſtro menſura in amore moduſque,
Eſt ratio, ultra omnem nimirum Numen amare
Menſuramque modumque, & nullo fine teneri.

Huc

Huc Amor, huc quantus quantusque est, impete toto
Currat, uti nusquam tenuis vel rivus ab illo
Divertat cursu siccis distractus arenis.
Illi opus est omnes mentisque animique referri
Vires, atque alia in nobis quæ est cumque potestas;
Quandoquidem quæ sunt ea nostra, recepimus ipsi
Propterea a summo cunctorum Auctore bonorum.
Protinus æternæ summus quoque postulat Ordo
Legis, uti simili nobis quos esse videmus
Mortales alios natura, propter eundem
Tum pariter Finem atque ab eodem Auctore creatos;
Hos uno, quo nos, ut complectamur amore,
Postulat, at Finem communem propter: amoris
Hujus & alterius cujusviscumque profecto
Ille quidem causa esse & meta novissima debet,
Qui tantum se propter amandus: id ultima namque
Exposcit summi Finis natura Bonique.
Hunc tibi propterea rebus præferre Voluntas
Ultro debet, eæ quæcumque existere possunt,
Famæ & divitiis & honoribus illecebrisque,
Nec non & caris præferre Parentibus, ipsis
Et Natis, usquam vel si quid dulcius extat,
Præferre & vitæ quoque & ipsis denique nobis;
Nec tantum præferre, sed ipsum in rebus amare,
Res omnes per quem subsistunt, omnibus Unum.
Namque has, quo Numen, si prosequeremur amore,
In rebus Finem Mens constituisse creatis
Privatisque bonis summum extremumque repente
Nostra videretur; fierent ut protinus inde
Omnia perversa summi præpostera lege
Ordinis & recti rationibus absona Amoris:
Nam quæcumque boni nihil a se habuere, necesse est
Non possint se propter amari, at in omnibus Auctor.
Nempe frui nos hoc tantum debemus, at, ipsum
Quæ jam cumque extra rerum sunt, omnibus uti,
Plusve minusve quidem, suprema ut scilicet ejus
Summi a Natura magis ipsa minusve recedunt,

Extremique juvant ut nos in gaudia Finis.
Neu tu rebus ab his reputes hic forſan, Amorem
Non purum in nobis, omni neque labe carentem
Eſſe; Bonum quoniam, quia ſuave eſt convenienſque,
Tendimus in ſummum, ſummum cum Numen amamus.
Namque ea vel puri natura videtur Amoris,
Nullis prorſus uti rebus queat ipſe teneri,
Ni ſint, quæ placeant, delectent, conveniantque:
Ut nihil eſt, oculis aliud quod cernere poſſis,
Splendida quam radiis quæ fulgent corpora lucis.
Propterea in ſummum, ſummeque quod allicit, ipſi
Cum ferimur Numen; ne protinus ipſe rearis
Ejus Amorem ad nos ad commoda noſtra referri;
Verum in id ardenti mentis contendere niſu
Scilicet extra nos raptos velut immemoreſque.
Hic Amor, in terris dum vitam ducimus, expers
Optati magno ſemper deſiderat æſtu,
Inque Bonum ſummum Finemque ardeſcit anhelans;
Indignanſque velut clauſo de carcere metam
Spectat, & impatiens longum obluctanſque tenetur;
Vivit & in votis, atque illis paſcitur optans.
Fine potitus at eſt idem cum denique ſummo,
Jamque tenet; poſitis votorum protinus alis,
Æternaque fruens cunctorum pace bonorum
Hæret in amplexu placide, plenuſque quieſcit.
Nonne vides igitur, quam cautum jam ſit Amoris
Legibus æternis, ne ut ſummo in Fine creatis
Hærentes cupide rebus captique fruamur;
Ut facimus, ſpecie tantum verique bonique
Illuſi heu! miſeri perſæpe: huc devius error
Nos agit, infelix ruis huc inſana Voluntas!
Nempe voluptatem in nobis ubi ſæpe creavit
Per, quæ circumſtant nos, corpora Naturaï
Cuncta movens Auctor(ſiquidem nos excitat iſta
Servandum ad corpus ſuavi ratione, neque illis
Propterea jungi, ſibi qui debetur, amore
Nos voluit rebus), jucundo protinus ipſi

Illecti

Illecti ſenſu, quidquid juvat, ilicet ipſis
Acceptum rebus referendum hoc omne putamus.
Nam quia non operam ſentimus ſæpe juvantem
Numinis in nobis, ſed circum ſola videmus
Corpora, propterea fit, ut illis hæreat ultro
Inſcia Mens, totoque libens jungatur amore.
Hinc amor ille auri, quo capti faſque piumque
Conculcant Homines; hinc nobis dulcia famæ
Præmia ſunt avidis; pulchroſque ſitimus honores
Inflati tumidæ vento velut ambitionis;
Hinc oritur turpis quoque corporis illecebrarum
Ordinis oblita Rectique in mente cupido.
Omnem ſic igitur noſtrum nos cordis Amorem
Pro pudor! in miſeras res vertimus inque creatas,
Vertimus a ſummo nimirum Auctore bonorum.
Haud aliam, credo, ob cauſam jam ſtulta Vetuſtas
Numina thuricremis olim ſacraverat aris
Ingenti numero: ſiquidem, quodcumque videbant
Eſſe voluptati ſibi, protinus illud amabant,
Nec non divino quoque dignabantur honore.
Principio Solem ac Lunam Stellaſque micantes
Olim ſunt Homines venerati: namque putabant
Eſſe Poteſtates præclaras ſcilicet illas,
Unde bona effluerent in terras: deinde per omnes
Dilapſi res, quidquid erat tunc utile vitæ,
Protinus addebant templis, votiſque colebant:
Quin etiam & ſenſum tribuebant, magnaque facta
Divinamque dabant vitam formamque decoram.
O Genus infelix humanum, adeone bonorum
Unius Auctoris potes oblivifcier omnium?
Porro Naturæ prima hæc præcepta docentis
A quovis Hominum non ullo poſſe videntur
Unquam ignorari pacto; ſit quamlibet ille
Et rudis & ſolis nemorum nutritus in umbris:
Humanæ quoniam ſemper manet inſita Menti
Æternæ Ratio Legis præſcriptaque Forma.
Nunquam credere enim poſſis, quod providus Auctor,

Ordinis æterna totam qui Lege creavit
Naturam, humanas tantum, præstantius ullis
Queis nihil in rebus, quodcumque est, nobiliusque,
Atque sui similes Animas projecerit ortas
Sic temere in mundum, ut nullo donârit egentes
Lumine lucis, uti valeant agnoscere, quidquid
Consonet Artificis summo, contraque repugnet
Fini, nimirùm quid turpe & constet honestum.
Illinc propterea novit Mens, non faciendum
Esse aliis id, quod fieri sibi nolit ab illis:
Proin odisse homines, furari, occidere, sanctam
Non servare fidem non fœdus, iniqua pacisci,
Fallere, non animum benefactis reddere gratum,
Non facile auxilium præstare, ubi possit, egenti,
Esse malum vetitumque, quod a Ratione, quod æqua
Ordinis æterni pugnans a Lege recedit.
Quanquam aliquæ fuerint quondam (& nunc esse ferantur)
Gentes, quæ diro viventes more ferarum
De genere illorum quædam non esse putarent,
Ut mala sunt, sed multa probarent impia facta.
Sic fuit infestis habitata latronibus olim,
Hi fuerant Populi, Germania; plausibus illos
Tollebant magnis, veluti pro re bene gesta,
Fortiter insidiis qui grassarentur, & auro
(Magna erat hæc virtus) possent ditescere rapto:
Nimirum moresque feri corruptaque vita
Barbarie æternæ poterant confundere formam
Legis, & umbratum Rationis condere lumen.
Si tamen interea vel dira in Mente latentem
Lucis inocciduæ voluissent excutere ignem,
Inque suæ interius Rationis templa reverti;
Collustrata illo Mens sanctæ lumine Lucis
Protinus æterni Formam vertisset ad Æqui
Vel caligantes oculos, atque Ordinis ipsam
Vidisset speciem; tum denique scisset Honesti
Naturam, & contra quid pugnet, deficiatque.
Est tibi præterea Lex immutabilis omnis

Na-

Naturæ; quoniam ſupremi convenit Æqui
Legibus, & nullis non temporibuſque lociſque
Convenit: ipſa prius nam ſi convenerat illic,
Quanam poſt eadem hæc alibi ratione repugnet?
Hinc tu perfacili potis es cognoſcere pacto,
Non Hominum ſolo a conſenſu nomen Honeſti
Et Turpis pendere, ſed ipſa legiferaï
Naturæ ratione, ſed æternæ Ordine Mentis.
Nos equidem naturam utriuſque, quid extet utrumque,
Detegere, at nunquam porro mutare valemus,
Atque id, cum volumus, facere, ipſum ne ſit honeſtum,
Ne ſit turpe, quod ante fuit: cum ſcilicet extet
Semper turpe, quod eſt, vel quod fuit, aut erit unquam
Turpe ſemel; quod item ſemel eſt, id ſemper honeſtum.
Propterea tota quæ Gens tam barbara terra,
Quæ veracem animum comem fortemque piumque
Et gratum & memorem benefacti æquique tenacem
Non probet, & laudans non diligat; atque ſuperbum
Contra & crudelem malefidum legifragumque
Ingratum Patriæ ſanctiſque Parentibus & Dîs
Non damnet ſubito, non horreat? ergo videri
Nos ad juſtitiam natos debere, neceſſe eſt,
Juraque Natura ſancita in mentibus ipſis,
Conſenſu haud Hominum; qui protinus utilitatis
Ad normam referant, vitanda petendaque quæ ſint;
Proptereaque malos pœnæ terrore minantis
A ſcelere avertant. Tantum at ſi pœna coërcet,
Non Natura Homines; unde unde illa inſita tandem,
Suppliciorum omni penitus terrore metuque
Sublato, mentes agitaret cura Nocentum,
Ut nequeant placidam & pacatam degere vitam?
Eſt quiddam in nobis, quo nos cognoſcimur ipſi
Teſte velut, prave quod agentes increpat uſque,
Laudat & innocuos contra culpaque carentes.
Semper proinde Bonis hinc gaudia ſuppeditantur;
Opprimit at contra malus impia pectora mœror,
Conſcinduntque Animum Furiarum Acheruntia Monſtra.

Utque canis leviſomna ſolent tibi pectora fidi
Ante fores agere excubias: ſi namque ferentem
Fors videat tacito leviter veſtigia greſſu
Furem in tecta; fero conſurgens prótinus ore
Adlatrat, magnoque domus clamore timentem
Arcet ab ingreſſu; vel ſi jam tecta ſubivit,
Sic fugere a laribus vacuum compellit opimis;
Conſcia Mens itidem noſtri fidiſſima cuſtos
In ſcelera inclamat longe deprenſa repellens,
Inque ingreſſa ſuis aſſurgens vocibus audax.
Si Ratione regi tantum, rectæque moveri
Lege velint Homines Naturæ, ad munera prorſus
Intenti ſua quiſque Bonum conſtanter amarent,
Virtutes colerent & ſanctæ fœdera pacis:
Aurea tum certe fluerent Saturnia ſæcla;
Dicere tum par eſt fore, ut irent lactea vulgo
Flumina per terras, injuſſos mollia late
Arva darent fœtus, per & omnes undique campos
Florida fulgerent viridanti prata colore;
Ver foret æternum: quoniam ratione relicta
Mens tamen ad cœcos interdum corporis ictus
Flectitur, & rapitur fruſtra Regina ſuique
Juris corporeis a motibus exagitata;
Virtutiſque via deflecti, juraque Legis
Supremæ violari, & verti cuncta tuemur,
Et res ad ſummam fæcem turbaſque redire:
Nam cum ſæpe ſui ſit amans plus ſcilicet æquo
Maxima pars Hominum; Mortales, proinde neceſſe eſt,
Erga alios quivis ut eorum conſtet iniquus,
Fortunam invideat, præclaraque facta malignis
Commaculet verbis, & perfida pectora geſtet,
Gaudeat adverſis aliorum, fœdifraguſque
Sævus ſitque rapax obtrectatorque Bonorum
Intentuſque malis ſemperque ad dira paratus.
Proin genus humanum tæderet vi colere ævum,
Atque inimicitiis langueret denique magnis;
Ni ferri inter nos leges ſint cœptaque jura

Con-

Conſtitui, poſitis quæ corda rebellia pœnis
Comprimerent, diros frænarent protinus auſus,
Facta coërcerent immania, corrigerentque,
Denique in officio ſponte ingratiſque tenerent:
Proinde Magiſtratus ſi paulum cura remittat
Semper pro culpa pœnis intenta ferendis,
Sub pedibus Vulgi Legum contemta jaceret
Quidlibet auſuri vis priſtina, fractaque jura.
Lata igitur Lex eſt ideo, ſuſtentet ut ipſam
Naturæ Legem, quam nos in mente tenemus;
Ne queat unquam auſu violari impune protervo.
Attamen haud ullis obſtrictus legibus unquam eſt
Vir bonus & ſapiens: quoniam, celare vel omnes
Si queat, injuſte nihil ille & turpiter unquam
Audeat, ipſe ſui cenſor morumque ſuorum,
Ipſe ſibi lex, illa probans, quæ juſta, ſequenſque.
Longe aliter Lydus quam quondam, ut Fabula priſca eſt,
Ille Gyges; ſubito qui, magnis terra ſoluta
Imbribus, ut referunt, cum diſceſſiſſet, in illum
Audax terraï ſubter deſcendit hiatum,
Et molem deprendit Equi prægrandis ahenam,
Ærataſque fores utero; queis vidit apertis
Admirans Hominis tumulatum immane Cadaver.
Annulus in digito gemmæ fulgore repente
Proditus eſt: lætus detraxit, & induit illum,
Seque in concilium tum paſtorale recepit
Paſtor & ipſe Gyges: inſertam ibi verteret auro
Cum gemmam ad palmam, nullo a Spectante videri
Quibat, at ipſe videns circum omnia; protinus idem
Deinde videbatur, cum in lucem redderet illam.
Hujus ope & thalamum Reginæ intravit, & ipſum
Regem impune neci ſubitæ dedit, atque ita letho
Sublatis, obſtare ratus quos poſſe, repente
Omnibus invaſit regnum, & Rex prodiit ingens.
Nec quiſquam ſcelera hæc patrantem dira videbat.
Si vero Sapiens hoc aurum poſſit habere,
Num putet idcirco ſibi plus peccare licere,

Quam si non habeat? Nimirum semper honesta,
Non occulta sibi quærit, clam solus id audet
Tantum, quod fieri coram quoque Judice possit.
Nunc age, tam varii in nobis jam deinde quid ipsos
Ad mores faciant Affectus, inspiciendum est.
Hi tibi sunt animæ Motus, ut diximus ante,
Concita queis sequitur, quidquid se percipit intra
Esse bonum, vitatque malum, quodcumque videtur.
Protinus hic vultu se Stoica Turba severo
Objicit, & cunctis purgate Affectibus ægras,
Inclamat, mentes; ac si mala constet eorum
Natura, atque animos, ut morbi corpora, vexent:
Esse nec hoc aliam, credo, putat ob rationem,
Quam male quod videat plerumque Affectibus uti
Commotis Homines, & diram mentibus inde
Perniciem inferri: quod jam ratione recedit
Tam procul a vera, quam si quoque crura manusque
Esse malas, oculosque & linguam evellite, clamet:
Namque Homines persæpe mali convertere in usus
Crura manusque solent & linguam & lumina pravos.
Tu tamen, O, resonans strepitu quem Porticus audit,
Quisquis es, humanum, si jam potes, exue pectus,
Motus Lætitiæ procul aufer, & aufer Amoris
Atque Odii, pariterque Metum pariterque Dolorem
Spemque Iramque; genus quæque hoc sunt, cætera tolle;
Quid jam ultra, stolidi nisi pondus inutile trunci, es?
Tune auferre paras, quo pectora providus Auctor
Armavit, fugiant ut noxia, proque sequantur,
Quæ bona sunt, seseque malis defendere possint?
Scilicet Affectus, ut venti velaque navis;
Quæ licet interdum correptas turbine puppes
In syrtes in saxa ferant; tamen usus eorum
Non est, ut pelago pereant spumante carinæ;
Auxilium falsas verum scindentibus undas
Ut præstent, & amica ferant in littora raptas;
Affectus itidem sunt, inquam, in corpore nostro,
Quos Natura quidem rectos concessit in usus,

Quam-

Quamvis ſæpe malo pravi videantur ab uſu.
Adjice, naufragium ponti quod Navita dirum
Vitare interdum ſolers non poſſit, ubi ingens
Protinus incubuit ventorum in vela procella;
At regere hos noſtra quimus ratione, furenti
Diram in perniciem rapiant ne corda tumultu.
Ergo non ima debere a ſtirpe fatemur
Funditus ex animo motus evellier illos;
Verum, ne poſitis excurrant finibus uſquam
Avecti, dominæ Rationis fræna ſubire:
Inclinant animum tum namque in recta, feruntque:
Corripimur magno ſic ſæpe in Numen amore;
Idque Bonum, telis veluti flagrantibus icti,
Ardenter cupimus; contra peccare timemus,
Mœremuſque malis, & pravos odimus actus.
His Ratio certe munita Affectibus, acri
Circumſeptus uti Dux milite, fortior atque
Vividior prodit; langueret ſola ſine illis.
Nimirum ſtimulos opera in præclara moventes
Injiciunt animis, facileſque per ardua greſſus
Expediunt; ſternuntque viam, minuuntque laborem,
Virtuteſque arteſque juvant: novitate velut cum
Perculſi rerum ſi nos hæremus in illis
Toti admirantes, tum concita protinus acri
Mens deſiderio ferviſcit, funditus ipſam
Rem, novitate ſua quæ perculit, inſpiciendi:
Inde tibi multæ manârunt utilitates,
Queis vita certe expertes eſſemus in omni
Nil admirando: tamen hic quoque ſæpe cavendum,
Ne deſiderium Ratio non temperet: illa
Nam ſine ſæpe ſolet ſupera ſe tollier audax
Mens, & inacceſſæ ſcrutari æterna Pronœæ
Conſilia, omnipotens voluit quæ Diva latere.
Si Ratio comitetur, & omnia dirigat adſtans,
Ira ſuam quoque, ſemper erit, ferat excita laudem;
Quis vetet iraſci nam ſanctum propter amorem
Juſtitiæ? Quin materiem virtutibus amplam

Isti suppeditant Affectus: nam cohibere
Si desiderium virtus est, ne quid eorum,
Quæ prave fiunt, Mens scilicet appetat unquam;
Propterea haud ullam virtutem debet habere,
Nec potis est, qui nil unquam desideret, illo
Et careat motu, cui vis adhibenda regendo est
Et virtutis opus, quæ vota furentia frænet.
  Omnes non igitur, qui nostro in corpore fiunt,
Affectus animi morbos mentisque vocabis,
Excussis sed qui dominæ Rationis habenis,
Ac velut indomiti veterino e semine pulli,
Insultant, turbasque cient sine lege furentes.
Æmula sic animum quæ vis movet, esse videtur
Tum bona, virtutem cum tantum imitarier optat
Alterius; quoniam Rationis fræna momordit:
Prava sed est, faciat si mœstam ægrescere mentem
Propterea tantum, quia, sola quod optat habere,
Alter habet. Monstrum non dira hac tetrius ullum
Invidia est. Superi, precor o! removete nocentem
Perniciem hanc Hominum, pestemque auferte nefandam.
Sola sub exesis scopulorum cautibus, ima
Vel tellure luat pœnam, & triste exigat ævum;
Sola, quod alter habet, sibi tantum hic optet habere.
Sic, omni quoniam est expers ratione, libido
Impetus est animi quidam non rectus, ut illo
Infra se positis fiat Mens subdita rebus.
  Denique si Ratio non temperet, omnis, oportet,
Prava sit Affectus natura: cientur enim intus
Corpore concusso turbæ, commota vacillat
Libertas & pulchra animi, languetque coortis
Oblita Mens tenebris, corruptumque omne, quod intra est,
Consilium multis erroribus indupeditur;
Recta videntur enim, quæ collibuere, repente
Omnia, pronaque sunt, quæcumque cupidine magna
Correpti exoptant Mortales, nec sua cœci,
Quæ sunt cumque, vident vitia omnia, prætexuntque,
Si videant; omnes illa de parte tuentur

Res,

Res, qua parte queant mentique animoque videri
Motibus indomitis agitato convenientes.
Nam veluti, si res viridis trans corpora vitri
Aspicias, vulgo viridantia cuncta tueris,
Aurea sed, flavo si spectes omnia vitro;
Motibus haud aliter, queis Mens corpusque cietur
Pro variis varias opus est res esse videri.
Propterea a nullâ, quamvis sit, parte videri
Turpe potest, penitus sed pulchrum, si quid amatur;
Ast odio si quid contra fiet, undique turpe est.
Scilicet his moti nos intra sæpe tumultus,
Si Ratio desit quæ temperet, ilicet ægram
Suffundunt Mentem tenebris, ut cernere verum
Non queat, & prave de re proin judicet omni.
Et quamvis omnis Rationem haud audiat ipsam
Interdum motus; Menti tamen usque potestas
Certa manet, nunquam cedendi denique victam.
Si velit, illa quidem perstat, velut ardua ponto
In medio circum latrantes sustinet undas
Rupes, & pelagi furias immota repellit.
Arte etiam faciet, nequeat vi sæpe quod ipsa:
Nimirum magnus sese cum concitat æstus;
Tunditur atque gravi Mens oppugnata procella,
In res ipsa alias si vertitur, atque ita motus
Si ciet oppositos; primos tum proinde retundet,
Vique nova magni minuet vim sæpe tumultus.
Silvestres sic sæpe feras per devia lustra
Venator canibus capit ad sua jussa paratis.
Atque ita Mens motus interdum comprimit illos,
Qui turbas sine lege cient, animumque fatigant
Sæviter, atque bonæ corrumpunt gaudia pacis.
Præterea ut motu careat Mens libera cœco,
Vixque regi qui possit, & obluctetur habenis;
Monstra quidem primò perimat nascentia in ortu
Principiis obstans; vigilique exercita cura
Ante alia id caveat, ne turpiter illaqueetur:
Nam vitare plagis ne Mens cadat indupedita,

Non

Non tam difficile eſt, quam captam retibus ipſis
Exire & validos contra perrumpere nodos.
Poſtremo nihil eſſe putem hac præſentius in re,
Quam noſtris parce (namque hinc impellimur) uti
Senſibus, illecebras vitare, animumque retractum
Rebus ab externis, magni nos unde tumultus
Continuo exagitant, in Veri educere lumen,
Scilicet aſſidue meditantem, noſcere rerum
Ut poſſit pondus, ſemperque æterna tueri.
Indulgetur enim plus æquo ubi ſenſibus ipſis,
Jam Mens, quæ ſenſus ſupra ſunt cumque, tueri
Non valet; Æternum quapropter quidquid & extat
Verum & Divinum, vix ſolo nomine novit
Infelix: quamvis eadem tam cernat acutum
Rebus in humanis, ſpecies & ſpectet inanes:
Motibus hinc variis ſtulte jactatur, & ægrit.
Quapropter vis tanta animum turbavit ubi intus,
Ut nequeas contra violento obſiſtere bello,
Utendum inſidiis: rem ſubtrahe ſenſibus ipſam,
Quæ te commovit: capere arcem ſi nequeat vi,
Obſidione fameque tamen capit hoſtis: oportet
Nam ſine re magni langueſcant denique motus,
Quæ nova continuo, ſi ſit prope, vulnera jactat.
Naſcitur Ambitio mortalia pectora torquens
Urbibus in mediis, ubi celſa Palatia Pompæ
Et plauſus Populi & clari viſuntur honores:
Tum miſeri uruntur Titulorum & Nominis ergo.
Aſt ubi balantum poſſunt per paſcua læta
Tantum exaudiri voces, atque Agricolarum
Spectari duri, dum vertunt arva, labores;
Exulat illa eadem procul, aut ſoſpita quieſcit.
Ne tamen & ſemper fugiendo vincere ſperes;
Scilicet in noſtro latet hoſtis corpore, non eſt
Quem fugere infeſtum, niſi tute tibi obvius obſtes:
Non facile eſt ſiquidem ſedare, vel omnia tentes,
Magnos, cum libuit, motus: namque impete tanto
Concitat interdum ſeſe cruor, atque vapores

Mo-

Mobilitant fibras ferventis pondere plagæ
Usque adeo, ut perquam valido contendere nisu
Debeat & contra vi magna obstare Voluntas,
Inclinata in eam ne tandem prodita partem
Concidat, atque truci sternatur victa sub ictu.
Proinde per assiduos longum durosque labores
Est opus huic Mentem violento assuescere bello,
Et vigilem semper vires adhibere per artem,
Ne non forte pares unquam nos inque paratos
Dira venenatis oppugnet cominus armis,
Contra sæpe valens astu, vi sæpe Cupido,
Spes ne stulta boni deludat inanibus umbris,
Ne quo flectat Amor; ne vani corda Timores
Infestent, ne quid Rationi dissonet unquam.
At solis ne crede tuis te fidere posse
Viribus; auxilium cælo sed posce secundum;
Effœtas illo vires armare recepto
Possumus, invictumque animo circumdare robur.
Ergo velut currus ad recte Auriga regendos
Certum noscere iter debet, notumque tenere:
Quod bene si teneat fortes licet impete cursus
Corripiantur equi subito, nubemque relinquant
Post se pulveream, nullis offensibus hæret
Securus: quod si per devia raptus aberret,
Quamvis vel placido juncti lenique ferantur
Cornipedes cursu, nihilo minus ille, necesse est,
Aut loca vexetur per confraga, seque suumque
Immani currum saxo e pendente ruina
Præcipitet deorsum; vel saltem denique raptus,
Quo ducit via nulla, nec est opus ire, feratur.
Sic vitæ pariter cursus mortalis, ab ipsis
Quæ rapitur motis persæpe Affectibus intus,
Currus equis rapitur velut a pernicibus, illac
Si pergat, summum qua possit tangere Finem,
Fungitur officio; sin contra devius erret,
Audiat adductas neque tum Rationis habenas,
Pro! quam multiplices metuet Mens sæpe ruinas.

Ni-

Nimirum deſiderium metus ardor amoris
Cæteraque, in vita, genus hoc, queis ſæpe ciemur,
Convertant animum ſi in terram, projiciantque,
Semper ut in vita nos prave errabimus omni
Non ſine pernicie! quod ſi in cæleſtia motam
Corripiant Mentem, Ratio indulgebit, & omnes
Effundens, nam recta via eſt, laxabit habenas,
Et ſic innocuo tibi curſu vita feretur,
Pulchraque tranquillo regnabit pectore Virtus.
  Ipſa mihi Virtus porro quid conſtet, ad ipſum
Denique quid faciat Finem, quo tendimus omnes,
Dicendum, quanquam tibi non ignota profecto eſt:
Ejus quandoquidem præclara laude refulges:
Non ideo noſtros tamen aſpernabere verſus:
Nam ſi non aliud, ſaltem lætabere tanto
Scilicet ornari te pulchræ dotis honore.
  Virtus eſt igitur conſtans & certa Voluntas
Uſque æterna ſequi Legis præſcripta ſupernæ;
Quæ, quoniam rectam ſunt cognita per rationem
A nobis, Rationis item præcepta neceſſe eſt
Omnibus in rebus ſit certa audire Voluntas.
  Percipe præterea, veluti qui corpora vibrant
Per tenſum vario ſaltu ludentia funem
Sublimes, medio librentur ſemper, oportet:
Nam ſi fors nimio deflectant pondere dextram
Seſe inclinantes in partem aut forte ſiniſtram;
Extemplo ferient labenti corpore terram,
Præcipitemque trahent ſupero de fune ruinam:
Sic nimium in partem ſi flectat forte Voluntas
Alterutram, medio neque ſeſe libret Honeſto
Omnibus in rebus, ſive hinc ſive inde, neceſſe eſt,
Decidat in vitium, & Virtutem deſerat ipſam:
Semper enim in media Virtus regione locata eſt,
Illinc cujus & hinc ſtipant latera utraque formæ
Oppoſitæ inter ſe vitiorum adverſaque monſtra:
Namque vel excedunt Virtutem, deficiuntve.
  At non ſemper idem medium conſtare fatendum eſt
Vir-

Virtutis: ſiquidem mutato tempore ſæpe
Mutatiſque locis, & quæ ſtant cætera circum,
Mutatur pariter varium: ſic vivere porro
Non debet ratione Vir idem ſemper eadem,
Diverſa ſed pro fortuna & conditione
Atque gradu atque annis, diverſis moribus uti.
At ſibi conveniat pulchræ in Virtutis amore
Semper; eam certus conſtanti mente ſequatur
Omnibus in rebus fortuna ætate locoque:
Illa regat, vitæque modum præſcribat, & æquos
Conformet mores, & amorem in pectora ſancti
Ordinis inſinuet. Quin eſt Amor Ordinis ipſa,
Quo ſumme rebus præfertur ſumma creatis
Nimirum Natura Boni: quare una, neceſſe eſt,
Sit Virtus; quoniam eſt Amor immutabilis Æqui:
Namque ab amore ſuam debent ſortita videri
Naturam, actarum quæ ſunt bona pravaque rerum:
Quandoquidem ſi rectus Amor ſe Numen in unum
Dirigat; ut torrens, ſecum rapit omnia victor,
Omnia recta, ſuo facit omnia conſona fini,
Atque omnes pulchris decorat Virtutibus actus.
Sin contra rebus ſe paſcat inanibus idem
Cuncta quidem ſoli referens ſibi; pravus ut ipſe eſt,
Et fallax rectis regionibus exit, oportet,
Omnia prava etiam mendoſa atque abſona fiant,
Omniaque in vitium flectant, quæcumque geruntur.
  Una igitur Virtus; varia ſed pro ratione,
Qua modus in variis ſervatur rebus & ordo,
In formas veluti digeſta eſt ſciſſaque multas:
Haud ſecus ac uno ſurgens de ſtipite quercus
Porrigit innumeros hinc illinc undique ramos
Extenſa, & late diffuſis pulchra vireſcit
Frondibus oblectans oculos animoſque tuentum.
Ipſa quidem Virtus nimium excurrentia vota
Temperat, & nullis corruptum rebus Amorem
Purum atque integrum divinos ſervat ad ignes:
Ipſa quoque hæc Fortis, dium quæ propter Amorem
Aſpe-

Aſpera magnanimo fert pectore duraque rerum.
Quin & Juſtitiæ quoque eodem e ſtipite Virtus
Tollitur: hanc idem quoniam rigat ardor Amoris,
Quo ſummo ſervire Bono contendit, & ipſi
Omnia propterea, cui ſcilicet omnia debet,
Auctori reddit. Propagine ſurgit eadem
Denique diſcernens uſu Prudentia recto,
In ſummum nobis quod Finem proſit, ab illis,
Quæcumque implicitos contra nos inque peditos
Extremo valeant prohibere a Fine Bonorum.
Hæ tibi ſunt arcto ſeſe inter fœdere junctæ
Virtutes adeo, nimirum ut nulla ſuarum
Sola choro Comitum poſſit divellier unquam:
Namque Amor æterni pariter complectitur omnes
Æqui, quo ſequimur rationi conſona rectæ.
Nam neque Juſtus is eſt, qui non ſibi temperet, atque
Sit Fortis pariter, ſit Prudens: jurane Princeps
Æqua dabit facile illecebris corruptus & auro,
Tentarique minis qui poſſit, & inſcius æqui?
Vera neque eſſe poteſt Prudentia, quæ ſibi nullis
Temperat in votis ignava & iniqua: quod ipſum
Dicere de reliquis poſſis Virtutibus: ergo
Nulla deficiens de parti plenaque Virtus
Denique ſi non eſt, Virtus tibi non erit unquam.
Hujus, quod ſupereſt, varias age percipe formas.
Et primo (ſiquidem Virtutes anteit omnes
Princeps Duxque chori, lumenque miniſtrat & effert)
Jam nihil eſt aliud Prudentia, noſcere ſummum
Quam, conſtet quid nempe, Bonum, in ſummumque neceſſe
Qua ſit item ratione viæ contendere Finem;
Nec tantum, quid ſit vitandum quidque petendum,
Noſcere; verum illud ſemper vitare, quod obſit,
Idque ſequi, quod proſit, & id conſtanter amare.
Scilicet hæc vitæ Virtus Ars certa regendæ
Claraque lux Animo eſt; illa quodcumque peractum
Eſt duce, vix ullas fraudes vix ulla timendum
Errorum, quibus hæc offendat vita, periſcla.

Ipſa

Ipſa caput merita cingit Regina corona,
Ipſa tenet ſceptrum, Virtutibus imperat ipſa:
Quantum magna tamen reliquas ſupereminet omnes,
Eloquar invitus, tantum Prudentia rara eſt:
Nam, quid ſit rectum quid pravum qualibet in re,
Mutato quoniam res ipſæ tempore ſemper
Mutatiſque locis & quæ ſtant cætera circum,
Aſpectu vario mutantur diſſimilique,
Artis opus magnæ cognoſcere conſiliique eſt.
Proderit anteactos rerum meminiſſe per annos
Geſtarum, & quidquid veterique novaque notatum
Proditur Hiſtoria, atque omnes evolvere faſtos.
Tum ſuper his Animus præſentia noſcere debet;
Quæ rerum natura, ſtatus quis temporis extet
Ingeniumque Virûm: nec non opus eſſe futura
Quis neget ex aliis, quæ jam ſunt, quæque fuere,
Conjicere, atque ita res acri prævertere mente,
Propterea ut poſſis ratione educere multa,
Quid fieri nequeat niſi prave, quidve probandum.
Multus at hic rerum variuſque requiritur uſus;
Et niſi non longis tandem venit uſus ab annis.
Non animos igitur Juvenum facere ulla ſagaces
Geſtarum poterit brevis experientia rerum.
Haud tamen hac illi prorſus Virtute carerent,
Conſilia in dubiis vellent ſi expoſcere rebus,
Et dociles ſemper præbere Monentibus aures.
Nam neque ſæpe Viros aliorum inquirere mentem
Rebus in ambiguis puduit quoque. Sæpe quod uno
Lumine non videas oculorum, utroque videtur
Recluſo. Quantum Sapientum proinde petitum
Conſilium multis ſæpe attulit emolumenti!
Præterea Prudens animo pollere ſagaci
Debet, ut in certum quæ ſint mage idonea finem,
Multis inveniat de rebus, & eligat apta;
Quin & ſolerti peragat ratione, viaque
Dum graditur cœpta, ne quæ res obſit eunti,
Huc circumſpiciens mentem convertat & illuc

Solicitam, cœptisque objecta incommoda rebus
Vitet, & offensu declinet cautus ab omni.
Attamen interdum nihilo minus usque sagacis
Solertis cautæ & quantumvis omnituentis
Fallier humanæ videas ea prodita mentis
Consilia, eventu nec sæpe probata secundo.
Scilicet humanis gaudet colludere rebus
Fors, ut vulgus ait, nec opino vertere cuncta
Adventu, quæ tunc Hominum Mens cumque parabat.
Propterea variam quia rerum conditionem
Scit Prudens, nunquam, cum fecerit omnia, certus
Secura eventus expectat mente futuros;
Prorsus ut in vita rerum nihil accidat omni
Ullarum, non posse quod accidere ipse putârit.
Vidimus, ingentes aliqua persæpe paratus
Belli cum fierent de parte, & cogeret amplis
Armipotens turmas regionibus undique Mavors,
Vidimus affectos illius Gentis amore
Tunc aliquos certas sibi jam promittere palmas,
Speque vorare Urbes, & jam numerare triumphos.
At post commotis contrarius exitus armis
Contigerat si forte, & jam omnis prodita corde
In ventum spes diffiueret; tum scilicet illos
Mirari infelitam veluti rem, quamque futuram
Crediderant nunquam. Mirum nil accidit illi
Et nihil insuetum, sapiens qui corde sagaci
Eventus rerum varios cognovit, in ipso
Plerumque incertis præsertim ludere bello
Fortunam vicibus; quapropter comparat æquum
Adversis animum rebus pariterque secundis.
Et quoniam media est inter contraria Virtus
Hinc vitia atque illinc; medium rationis, oportet,
Propterea teneat Prudentia; cujus utrumque
Cingunt monstra latus pugnantia: namque necesse est
Sint, quæ deficiant, quæque excedentia constent.
De genere hoc vitium est, cum pravo ardescimus æstu
Votorum, nimiaque bonis pertenuibus atque

Infra

Infra nos longe poſitis longeque puſillis
Soliciti cura cum hæremus, & irretimur.
Hac quoque parte nimis medio a Virtutis aberrat
Aſtus, perverſa quo quis regione viaï
Nititur in finem quemvis, fraudeſque dolique,
Fallere queis alios hominum gens improba gaudet.
Virtutis medio contra Mens excidit ejus
Deficiens; quaſvis temere illa & præcipitanter
Nimirum aggreditur cum res, neque cogitat ante,
Quid ſit opus facto; proinde & mutatur in horas
Sive levem ob cauſam ſeu nullam, nec ſibi conſtat;
Nec non & rebus quoque cum pigratur agendis:
Nempe prius quam res ipſe aggrediaris agendas,
Conſultes, opus eſt; at, poſtquam cœperis; illud,
Quodcumque eſt, properans mature perfice factum.
Porro, Juſtitiæ quæ jam ſit origo, ſit ejus
Et quæ natura & proprium quod munus, agendum:
Illa Virûm jungens ſeſe inter ſæcla coëgit
In commune Bonum: ſiquidem diſſolvitur omne,
Si caret hac, fœdus; ſine quo quis poſſe putabit
Vivere vulgivago Gentes de more ferarum?
Ipſa etenim genus humanum Natura coëgit,
Alter ut alterius nimirum ſemper egeret
Auxilii, inter ſe caperentque & mutua ferrent
Subſidia, & ſolis unquam non eſſe liceret:
Propterea in pagos urbes & regna coacti
Convenere Viri; poſſent ubi moribus iſdem
Atque iſdem pariter ſeſe inter legibus uti;
Nam cum principio premeretur vulgus ab illis,
Qui vi quique opibus pollebant, uſus ad unum
Confugiſſe fuit præſtantem, qui retineret
Jure pari imbelles cum fortibus, æquaque legum
Ferret ſcita; queant hæ ſemper ut omnibus una
Voce eademque loqui: nam ſi ſine legibus eſſet,
Perpetua mortale Genus ſe clade repente
Mutua conficeret. Quaſdam quin eſſe neceſſe eſt
Latronum leges; neque enim ulla poſſe vel illos,

Qui ſcelere atque malis paſcuntur, vivere certum eſt
Juſtitiæ ſine particula: ſi namque quis horum
Surripiat prædam Sociis latronibus ipſam,
Vel non hanc æque diſpertiat, haud putet ultra
Inter eos ſupereſſe locum ſibi; namque vel illum
Fœdera turbantem fugient, tollentve necantes.
Quare qui violat communia fœdera pacis,
Sanctaque Juſtitiæ conculcat jura, videtur
Monſtrum, quo Generi non eſt infeſtius ullum
Humano; quoniam quid perniciоſius olli eſt,
Quam quæ ſunt hominum commercia ſolvere, & ipſam
Hos ad egeſtatem naturæ velle relabi.
Ergo cuique ſuum tribuendi certa Voluntas
Juſtitia eſt: jamque hæc una e propagine ramos
Scinditur in geminos; pœnas & præmia confert
Altera pro meritis pro conditione Virorum:
Ut cum diſtribuens urbis ſpolia ampla ſubactæ
Rex tanto majora Duci largitur & illi,
Qui ſe præclaro ſuper omnes extulit auſu;
Prævertunt alios quantum Virtutis honore:
Obtinet hæc medium rationis, & altera reii;
Nam res commutat rebus, neque reſpicit ultra
Ipſa aliud quidquam, quam par ut conſtet utrinque
Permutandarum pretium menſuraque rerum:
Omnia natura quanquam communia conſtant,
Privatumque nihil; tamen & communia primo
Quæ fuerant, ſua fecerunt vel ſorte vel armis
Vel quondam in vacuum veniendo aut denique pactis
Legibus; ex illo quia quiſque, quod obtigit olli,
Jam tenet, haud ullo depelli jure valebit
E propriis; neque enim alterius ſunt commoda tanti,
Fœdera privatam ut rumpantur ob utilitatem.
Hujus quapropter ſi quis non ſervat utramque
Juſtitiæ partem, jus lædit protinus, æquam
Et violat legem; Ratio niſi ſuadeat ipſa
Præſcripto rigidæ tum forte recedere legis;
Nempe infinitis quoniam, quæcumque geruntur,
Res

Res variare queunt rationibus, & tamen omnes
Lex nequit idcirco comprendere præque videre;
Ut Ratio legis vim temperet æqua, neceſſe eſt,
Interdum, & variis, quæ tum contingere poſſunt,
Pro rebus varie legum plerumque rigorem
Molliat, & normam deflectat ſemper ad æqui.
Nunquam depoſitum proin reddes, quo perimat ſe,
Inſano gladium, neque Civi inferre paranti
In Patriam bellum reddes, quod credidit, aurum.
Hic operæ pretium eſt paucis inquirere, quemnam
Nempe illata malo graviori injuria lædat,
An mage, qui ſuffert, an qui ferus intulit ipſam?
Forte putes, videas illum cum flere querique,
Hunc animo contra nimium inſultare feroci,
Omne malum ſoli, patitur qui ſcilicet, eſſe.
Et tamen hunc longe miſerum minus eſſe fateri
Debes, alterius factis qui urgetur iniquis,
Quam qui injuſtitiæ, namque hinc injuria manat,
Obruit indigno fœdans ſe crimine; pejus
Quo nullum queat eſſe malum, nec reddere poſſit
Proinde magis miſerum: quare fatearis oportet,
Vulnera quo graviora animi, quam corporis extant
Nimirum, lædi tanto crudelius illum,
Qui ſcelus infelix faciendo ſuſcipit in ſe,
Cogitur alterius quam qui ſubjiſſe furorem:
Et veluti multo eſt id honeſtius auxiliante
Largiri benefacta manu, quam ſcilicet illa
Accipere, idque magis peragendum, præque ferendum;
Eſt inferre malum ſic turpius, & mage multo
Vitandum, quam vi dira tolerare receptum.
Hæc injuſtitiæ namque eſt data pœna, venenum
Ut bibat ipſa ſuum, ſeque impetat ipſa nocendo:
Propterea que pati ſatius ſit facta ſuperba,
Quam facere; Auctori ſiquidem mage noxia conſtant.
Non minus at ſanctis pugnat cum legibus Æqui
Velle ſcelus ſcelere ulciſci: facinuſne probemus,
Quod male patratum eſt, imitando turpiter illud?

Ipſo nempe malo non vincitur, at benefactis
At virtute malum: nempe exarmatur ita omnis
Nequitia, imbelleſque exercet inaniter iras,
Amittitque ſuum contemta injuria virus.
 Et quia Juſtus is eſt, aliis qui debita confert,
Et varia in varios facit id ratione modiſque,
Juſtitia haud una ratione & nomine conſtat.
Sic cum mente pia ſupremum Numen adoras,
Et Majeſtatem, qua pollet, ob infinitam
Teſtaris cultu Dominum rerumque Potentem,
Auctorique tuo totum quoque reddis amorem,
Relligio eſt: hinc ſunt aræ delubra preceſque
Votaque, ſunt multo quoque ſacra halantia thure.
 Illa erit & Pietas, Patriæ cum debita caræ
Solvimus officia; ut cum armis defendimus ipſam,
Olli & præſidium virtute decuſque paramus.
Quandoquidem primas vitales hauſimus auras
In patria tellure; ſolum reptantibus illa
Præbuit infirmis, alimentaque ſuppeditavit,
Ut facit, atque malo tutatur ab hoſte feriſque.
Indidit hunc animis patriæ Telluris amorem
Natura, ut quovis ſub ſidere poſſit ubique
Terra coli; ſic & montes valleſque profundæ
Pulſatique ſalo ſcopuli, nigræque ſub umbris
Silvæ & littoreæ qua fluctu agitantur arenæ
Atque ubi triſtis hiems brumalibus omnia nimbis
Vexat & æterna glacie tegit, atque ubi cælo
Sub calido fervent late loca, Solque perurit
Sæcla Virûm, ut voluit Natura, ea quæque coluntur.
 Præſtat item Pietas, quoque ne Genitoribus ipſis
Sit Proles injuſta, quibus vitamque referre
Et bona, cum vita quæ ſunt ea cumque recepta,
Omnia debemus: quoniam non lumina clari
Alma ſine his unquam poſſemus cernere Solis,
Sæpe nec humanos nec rectos diſcere mores.
Propterea poſcunt humana æternaque jura,
Semper ut a nobis, qui nos genuere, colantur

Ob-

Obſequiis magno nec non & amore Parentes;
Dum vivunt, illis ut egentibus auxiliatus
Præſtentur quæcumque ferendo incommoda: nunquam
Par quit enim his Soboles quantumvis grata referre.
Illos Eumenidum cretos de ſanguine credas,
Proinde & vipereo potos pro lacte cruore,
Quicumque ingrati Genitoribus inventi ſunt,
Et ſanctum auſi ſunt Nomen violare Parentum.
Si licet, atque aliis ſi mos ſua ſæpe Poëtis
Jactare, hic de me nolim non dicere, tales,
Blandiri ſeu mi voluit Natura benigna,
Seu fors illa fuit, me ſcilicet eſſe Parentes
Sortitum, ut primos remeando detur ad ortus
Si, queiſcumque velim naſci, non regius eſſe
Ambirem ſanguis, neque Crœſi divitis hæres.
Hos ego non alios legerem. Quam magna duobus
Tollendi fuit illa mei, quam grataque cura,
Quam dulcis magnuſque labor! mi in pectus amorem
Juſtitiæ, & ſancti fundebant ſemina Honeſti
Exemplis, pariterque haud mollibus uſque monentes
Præceptis Puerum, cultis & moribus illi
Certabant teneræ formare exordia vitæ;
Ipſe bonas voluit Genitor ductare per artes;
Et ſacros mecum latices Permeſſidos undæ,
Naturæ ſibi nota & mecum limina adibat.
Nunc vero de me quid poſcit uterque? niſi una
Ut pro tam magnis referatur gratia rebus;
Scilicet ut poſſint lætarier ubere fructu
Non curas caruiſſe ſuas, tantoſque labores
Incaſſum haud cecidiſſe. Utinam in me Pignora læti
Grata recognoſcant, & me referente, quod optant,
Propterea patrium pertentent gaudia pectus.
A me ſic, aliis ſic me melioribus illi
Natis, ut par eſt, atque ut meruere, colantur;
Incolumeſque ſuperſtitibus gaudere piiſque
Poſſint in longam pariter placidamque ſenectam.
Poſcit Juſtitiæ quoque Virtus, eſſe colendos,

Doctrina qui ſunt ætate & honore priores,
Propterea, quoniam debet reverentia dignos
Uſque ſequi. Nunquam velle & pugnantia veris
Dicere, Juſtitiæ eſt: nimirum indebita reddit
Ille aliis, ut decipiat, qui falſa profatur,
Et ſimulat factis ficto & mendaciter ore.
Juſtitiæ eſt etiam benefactis reddere ſemper
Gratum animum memoremque & ſponte referre volentem:
Non hoc jam vitium magis execrabile conſtat
Ingrato; ſi præſertim contraria reddat,
Noxiaque accepto referat pro munere dona.
Atque utinam ipſam ſe cognoſcere Mens ingrata
Poſſit, ut eſt intra; ſe viſa horreſceret ipſa
Protinus, & morem fors emendaret iniquum,
Immani vel more ferarum deteriorem.
Omnibus Ingratus miſeris nocet: efficit iſto
Namque Homines pacto minus ad benefacta moveri.
Carminis a recto paulum deflectere curſu
Officii memorem rurſum locus admonet & res;
Nil ita quandoquidem cupiam vitare, magiſque
Horreſcam, quam ne poſſim male gratus haberi:
Quos mea Muſa Viros ſibi jam devinxit, & amplum
Unde ſibi decus adſcivit, perſolvat eiſdem
Munus fas aliquod medio ex Helicone petitum,
Si queat; hæc ſuperat vires ſin gloria noſtras,
Ex animo certe, quodcumque eſt, illud habento.
Ut primum lucem educti venere ſub almam,
Hi tibi tum noſtri non diſplicuere Labores,
Franchine, o magnum Nomen mihi, grandia cujus
Nulla dies memori benefacta e pectore demet:
Abſentem atque tibi me ignotum cætera ad Urbem,
Qua nihil in terris majus meliuſque, vocâſti;
Nam tu agis hac magni Legatum Cæſaris Aula
Curans res Patriæ (Te vere in publica natum
Munera res magnas belli paciſque ſecantem
Gallia conſilio Juvenem mirata ſagaci eſt
Jamdudum; tibi tunc annis Prudentia major,

Omni-

Omnigena quam cum Doctrinæ dote jugâſti).
Adveniens quantum lætatus ego Hoſpite tanto!
Exinde & noſtræ laus addita quanta Camœnæ!
Et jam ſi queat ipſa, ſibi quod poſſe videtur
Te laudante, quid ad decus immortale requiram?
Me tibi Poſteritas acceptum noſceret omnis,
Longaque me gratum perhiberent ſæcula Vatem.
Nec patiar te præteritum indictumque relinqui,
(Quanquam exinde tuis quid poſſit laudibus addi?)
Jacomelle Amor o Phœbi Aonidumque Sororum,
Quem doctas illæ cupidum duxere per artes,
Atque animo ſcire & ſapere inſeruere capaci:
Num prodire tuo noſtri ſine nomine verſus
Poſſint, non leve ſunt qui per te nomen adepti?
Namque per ora Virûm ferimur, lateque per omnem
Auſoniam, & Latius qua ſermo eſt cumque, volamus
Te laudes vulgante, quibus mea carmina tantum
Tollis, ut affectent vita gaudere perenni.
Ambiri quid enim queat hac præclarius in re,
Quam prope divino celebrarier illius ore,
Cujus Fama Viri per magnas inclita Gentes
Fertur, & æterno laudum præfulget honore?
  Juſtus is eſt quoque, qui pluris non æſtimat aurum,
Quam par ſit: rectos proinde elargitur in uſus,
Munificaque manu, quantum licet, haud ſinit ullos
Dura in pauperie triſtem producere vitam.
Hos & fortuna, Superi, donate manenti,
Hos & inexhauſtis auri cumulate metallis,
Publica perpetua vivant in commoda vita.
Haud tamen ingentes ſubito profundere nummos,
Atque ubi non ſit opus, Ratio ſuadebit: egere
Namque Homines, conſtant queis prodiga corda, neceſſe eſt:
Cum vitanda prius (Ratio ſic ſuadet) egeſtas
Sit propria, alterius quam ſit tibi vita levanda.
  Et quoniam exhaurit fontem quoque Prodigus ipſum,
Et facit, ulterius ne poſſit; ſæpe liberet
Quod facere; idcirco ſeſe præſtare benignum

Utile sin spectent, vel quod delectet, oportet,
Protinus ut nomen commutent; esse videri
Cum nequeant sua quærentes sibi commoda Amici:
Si namque utilitas, vel quæ jucunda fuere,
Deficiant; fieri variis quod sæpe necesse est
In rebus, pariter diffuta repente videbis
Mutua Amicitiæ dissolvi vincula ruptæ.
In manibus Divam dicunt, qui fingere gaudent,
Astræam gemina libram cum lance tenere,
Nec frustra; quoniam suspensum hinc inde quod æquo
Pondere libratur, neque lanx superinsilit ulla,
Nec premitur deorsum, medioque immota tenetur
Utraque, Diva tibi Rectum pronunciat illud:
Quod si quid magna sursum levitate feratur;
Vel contra nimii momento ponderis ipso
Peccet; ut excedat nimirum, deficiatve
Justitiæ a medio; debes utrumque fateri,
Lancibus in mediis cum non libretur, iniquum.
Injustum est igitur, majora minorave Princeps
Præmia si meritis confert, vel crimina pœnis
Si plectit nimiis, vel si connivet in isdem:
Injustum pariter, si res mutata minore
Sit pretio vel item pretio majore; petatur
Si prorsus sterili nummorum fœnus ab auro:
Si minus ac pactum est, vel longe tardius æquo
Solvatur; nec item reparentur noxia multo
Damna illata malo: tu cætera de genere horum
Adjice, quæ longum mihi sit, si dicere coner.
At non Justus eris, nisi certa pectus obarmes
Atque animum Virtute, queat quæ reddere Fortem;
Quandoquidem superanda manent tot dura laborum,
Totque pericula sunt tot magna incommoda vulgo,
Queis misere vita semper tentamur in omni.
Provida nimirum Mens Numinis, exilii hujus
Vili forte capi ne nos possimus amore,
Sed Patriæ expectata in gaudia suspiremus
Cælestis Patriæ atque æternæ in munera pacis,

His interseruit rebus mala multa, dolorum
Infestam segetem; morsu quæ suscitet acri,
Admoneatque animum, quærendum scilicet illud
Esse Bonum, summum quod constat perpetuumque.
Propterea quantis, dum tanto in turbine vita est,
Hic Animus curis, corpusque doloribus ægrit,
Quisnam erit, ignoret qui vivens, quamlibet idem
Dives honoratus sanus Rex denique constet?
Quare, cui tantum restet transire malorum
In vita, Sapiens forti se pectore debet
Munire, ut magnos victor dirosque repulset
Incursus animo; vel si non illa repelli
Vis queat, immites tum saltem fortiter ictus
Perferat, atque animo nunquam succumbat inerti.
Est tibi proin medius, Fortem quem dicimus, inter
Audacem Timidumque; quia audacemque necesse est
Temperet audita Ratione animumque timentem.
  Et quoniam Virtus subeundis ista periclis
Exercet persæpe suos, pulcherrima certe
Inter Bellantum vultus præfulget & arma
Inter perdendæ tot certa pericula vitæ,
Justo ubi nimirum certatur Marte, velut cum
Pro Rege & Patria pro Relligione geruntur
Bella Viris: nam Virtutem pugnare necesse est
Hanc pro Justitia: proin insidiasque dolosque,
Nullo posse videt quos cum illa fœdere jungi,
Effugit, & forti tantum rem pectore contra
Aggreditur; neque se letho temere objicit audax;
Scilicet ad vitæ subeunda pericula magnas
Exposcit causas: adversam optare procellam
Nempe in tranquillo, delirum est; subvenit illi
Tum Sapiens tantum, cum jam furit excita contra.
  At caveas ne te, cum fortiter egeris, ardor
Extollat nimium, atque alios super evehat omnes
Despectantem animis cunctorum facta superbis,
Solus uti cupias sic princeps esse videri:
Difficile est etenim cunctis præstare volentem

Ullo jure pati te vincier, assuetusque
Cedere nulli Animus potius superare volet vi,
Quam par justitia fieri: hinc injuria manat.
Vera animi Virtus tantum sibi quærit honesta,
Et princeps vult esse, nec, ut videatur, id optat,
Nec, de se ignarum quid vulgus prædicet, audit:
Lubricus hic certe locus est, consistere vix ut
Possit, qui magnis persæpe laboribus audax
Susceptis, toties rerum vitæque perîcla
Fortiter invasit: petitur nam deinde superbe
Gloria gestarum merces ut debita rerum:
Fortis & hanc Animus debet contemnere victor.
Hujus item quoque materies Virtutis opusque est,
Adversis nunquam rebus succumbere, nullisque
Expugnato animo violentis cedere plagis;
Oppositas verum tolerando obtundere vires.
Præclaros animis ingentibus inspice paulum
Heroas, sanctæ qui Relligionis amore
Justitiæque, minas inter tormenta dolores,
Vitam exhalabant, quo ferrea vincula vultu
Oraque Carnificum flammas ensesque securesque
Impavidi ferrent, ipsam quo denique mortem!
Aspera laturum fidenti pectore Fortis
Vir fore se sperat, Ratio cum poscet, & idem
Impavido constans animo patiensque laborum est:
Obfirmatur enim in tolerandis tristibus, omni
Inque malo placida mente immotaque ferendo:
Atque pari perfert adversa secundaque vultu,
Recta firmus enim semper manet in ratione:
Nam magnæ levitatis item est res ferre secundas,
Quæque fluunt facile, exultanter & immoderate.
Tum neque præclaris capitur fulgoribus auri;
Angusti siquidem est animi longeque minuti
Divitias (adeo sibi Mens vilescat?) amare:
Est quoque Magnanimus; recti nil linquit, honores
Quod pariat pulchros; non propter at angitur illos,
Æstu non illis nimio suspirat habendis.

Tum

Tum quoque fac habeat; nihilo jactantior ibit
Propterea, & vulgo non sese attollet ab imo.
Quin & majori multo ratione vocabis
Magnanimum, Finem qui propter nobiliorem
Non famam & pulchros quantumvis quærit honores,
Quæque Hominum in pretio sunt, despicit omnia victor,
Cor magnum est igitur, quærit quod Numen, & ipsum
Omne Bonum votis exardens omnibus optat:
Proplereaque, quod hoc minus est, haud æstimat hili.
Ille tibi triplici Virtutis robore tectum
Pectus habet circum, quem nec prævisa, nec ipsa
(Hoc opus hic labor est) nimirum inopina manenti
Concutiunt animo; magno Virtutis ab usu
Quandoquidem solidæ tum mentis habere necesse est
Confirmatum habitum; ne protinus illa vacillet,
Sæpe repentina si vis adversa procella
Ingruit, & subitis oppugnat concita plagis:
Cum se non liceat, velut in prævisa, coacto
Undique præsidio munire, animumque parare.
Non est præterea Virtus, præseferat ejus
Quantumvis speciem, & Virtutis imagine fallat,
Ipsi sponte sibi diram consciscere mortem.
Scilicet Insanis hoc sæpe ignavia suadet.
Fortem tunc putes, cui non tolerare potestas
Rerum & fortunæ & jacturam denique honoris
Cæteraque; in sese quæ fuerunt dira paventum
Dextram armare Hominum, vel letho ut talia vitent?
Proptera invictum ne rere fuisse Catónis
Illum atrocem animum; quin ipsum vicit eadem
Denique fortuna, qua vicerat omnia', Cæsar:
Fecit enim, hostiles ne posset cernere vivus
Victoris vultus, de seque videre triumphos.
Dicere deberes magnum invictumque, superbum
Denique si scîsset cordis posuisse rigorem,
Atque immoto animo atque immoto cernere vultu,
Quod sors cumque ferat, nihil hostilique moveri
Fortunaque sua: nimirum hoc vivere Fortem est.
Præ-

Præterea Fortem num poſſis dicere, tantum
Quem levis interdum furiali injuria tæda
Exagitat, contra privato ut cernere bello
Sponte velit, maculam quovis ut ſanguine demum
Hoſtilive ſuove ſui detergat honoris?
Scilicet hæc animis veræ Virtutis egeſtas,
Ut famam dulcemque velint profundere vitam,
Aut alii eripere; offenſæ ne crimen inultum
(Inſanire putes adeo nos poſſe?) ſuperſit!
Denique ſi media Fortis ratione recedet,
Ut docui, aut præceps violento Audacia motu
Gliſcet in abruptum rapiens; gelidive Timoris
Concutiet mentem torpens natura paventem.
Virtuti oppoſitum eſt, Fortem quæ reddit, utrumque
Hoc vitium; exceſſu nimirum Audacia magno
Tollitur hinc, humilique Timor pede claudicat illinc.
En tibi jam complet numerum, clauditque coronam
Ultima Virtutum, nimias quæ temperat omnes
Corporis illecebras, præſertim rebus in illis,
Omnia quas pariter ſectantur ſæcla ferarum;
Ut gula quas poſcit, turpeſque libidinis æſtus.
Bellua propterea, qui non ſibi temperat iſtis,
Dicitur, ejuſdem quoniam e genere eſſe videtur
Naturæ, pariter dum moribus utitur iſdem.
Proinde cibis nimiis hæc abſtinet, ingluviemque
Atque avidos Virtus moderatur ſobria potus;
Quandoquidem tantum Ratio concedit utroſque,
Corporis ut vires reparentur; at opprimit illas,
Ingerit immodicam madidus qui ſcilicet eſcam.
Caſta quoque hæc Virtus; quia re declinat ab omni,
Qua valeat turpis cor exagitare voluptas:
Ore Pudicitiam præfert; turbatur ad omne
Quandoquidem factum, quod poſſe inferre videtur
Dedecus ullum animo: motuſque cupidinis omnes
Continet, & recta frænans ratione coërcet.
Eſt etiam, ut triſtes Manſueta hæc molliat iras,
Ultoriſque animi Clemens ut leniat æſtus:

Ipſa

Ipsa sua ratione regit risusque jocosque;
Utitur his etenim, postquam gravioribus ipsis
Jam satis est factum studiis: ast esse facetum
Debet & ingenuum, quoniam vetat ipsa profusum,
Ludendi genus omne; facit quoque corporis omnes
Componi motus, & verba decentia poscit:
Munda sit ut vestis, pariter sit munda supellex,
Ipsa jubet, rebusque modum dat convenientem.
Propterea nulli species tam pulchra videtur
Virtuti; siquidem id, quod dicimus, ipsa Decorum est.
Nam quædam ipsius species ut amabilis extat
Corporis, inter se partes cum suaviter omnes
Una conveniunt nimirum, & proinde videntum
Delectant oculos quodam capiuntque lepore;
Sic lepor est quidam vitæ morumque venustas;
Ordine quæ constat factorum convenienti
Dictorumque modo; proin ipsa probetur, oportet.
Hæc tibi multarum constat natura reperta
Virtutum; his animi Mens collustrata renidet,
Pulchraque dote sua gemmas superastraque fulget:
Nam neque gemmarum nitor astrorumque nec ullus
Corporis ullius decor est, conferier illi
Ut valeat, pulchro Sapiens quam ditat honore
Virtutum. Felix, tanta qui dote coruscam
Munerat, atque opibus facit his ditescere Mentem!
Ast ubi crimen eam maculis suffuderit atris,
Atque hoc labe decus probrosa infecerit omne;
Non ita nocturnæ cœcus caliginis horror
Nubilaque astriferi denigrant lumen Olympi;
Non ita pulvereo gemmaï perlita limo
Lux sordescit; uti culpa Mens obruta turpi
Jam vetere amisso corrumpitur atra decore;
Idque fit, a Summo cum nempe aversa recedit,
Inque creatarum infelix bona inania rerum
Vertitur, ex animoque illis conjungitur omni.
Scilicet hic Animæ status est, media extet ut inter
Corpus & ipsa Deum, simul & jungatur utrique:

Al-

Alterutri si proinde libens accedat amore
Arctius amplexa; ex alia tum parte necesse est
Abscedat simul, atque infirma ea fœdera reddat.
Quare corporeis quo sensibus illaqueatur
Plus, aut per sensus quæ percipit, hoc magis ipso a
Rerum Auctore recedit, & obliviscitur ejus.
Quænam est Naturæ magis, omni & dissona legi,
Denique cum pulchro quæ res magis Ordine pugnat?
  Nec porro paria esse queunt peccata videri;
Sed graviora aliis quædam levioraque constant,
Ut magis a recta ratione minusque recedunt.
Propterea non est dicendum, quod leve furtum
Aut nucis aut vilis mensa de divite frusti
Exæquare queat gemmata atque aurea furta,
Templa domos urbes vi funditus expoliantum.
  Atque ea diversa nimirum ab origine pendent
Errorum Mentis, sed quæ non fallitur insons:
Quandoquidem perculsa bono quocumque Voluntas
Stare loco haud perfert, donec Mens parte revolvat
Scilicet ex omni rem, seseque undique vertat,
Impatiensque moræ verum irrequietaque cœco
Impete corripitur præceps, & prævenit ipsam,
Quæ regat & doceat, Mentem; hæc erroris origo.
Hoc genus est, ipsi bona cum præsentia longe
Præferimus, sint falsa licet sint tenuia, rebus,
Quas procul a nobis avectas cernimus, atque
Sero venturis quas expectamus in annis.
Nam cum sæpe bonum præsensque repente novumque,
Et quo perfacili subito ratione potiri
Possimus, Mentem flagranti ita concutit æstu,
Ut magnos cieat motus, turbetque cupitis,
Illa dari votis finem vult, proptereaque,
Quandoquidem præsente bono gaudere recepto
Sese posse putat, suaque illo vota replere,
Illi posthabitis hæret conjuncta futuris
Omnibus; hæc longe quamquam potiora videntur.
  Consimile est etiam modo quod delectat, & esse
Nunc

Nunc ſibi quod valde Mens utile fingit, amare &
Velle frui ſubito, nec, quæ ſint conſequa, prorſus
Noſcere; nimirum quanti vexare fluentes
Ex illo poſſint animum corpuſque dolores;
Omnem qui dira ſuperent gravitate bonorum
Lætitiam, vita queis Mens gaviſa priore eſt.
Jamne vides, agitur quanto veſana furore
Mens hominum, dum ſæpe viis laſſatur iniquis,
Queis graditur, vitæ propter felicis amorem,
Qua putat in terris ſtulte ſe poſſe potiri?
Cum brevia hæc adeo cum prorſus inania conſtent
Munera, uti nulla poſſint de parte beatos
Reddere; quin magno cumulent angore laborum:
Summaque propterea ſemperque manentia conſtant
Quæ bona, pro! vitæ contemnit ſtulta futuræ:
Quin ſibi deberi pravis facit improba factis
Cunctorum æternas poſt ultima fata malorum
Ærumnas, miſeræ dira infortunia vitæ.
Atque utinam uſque foret præſens vis tanta pericli,
Poſſe in perpetuum Bona ſumma amittier ævum
Scilicet, in baratrum cunctorum & poſſe malorum
Delabi, æterno ſepeliri denique luctu;
Haud mora, ſe recta properaret ſiſtere ſanus
Quiſque via, atque illac firmo contendere greſſu.
Corpora nam veluti quæ longe avecta tuemur,
Sint ea quantumvis immania, non niſi parvam
Perteṅuemque ſui poſſunt formare figuram,
Ni magis accedas; ita Menti haud magna videri,
Quæ conſtant æterna, ſolent, disjuncta quod illa
Credimus: interdum ſed ſi Mens illa revolvens
Ad ſeſe velut adducat; tum ſola profecto
Apparent aliis evaneſcentibus, ante
Quæ nos cumque velut magna & præclara movebant.
Mercator ſapiens æquis rem lancibus omnem
Ponderat, & pretio bona quælibet æſtimat æquo,
Ut præferre ſciat majora minoribus uſque
Lucra: quid? æterno ſi conſtent pondere ſumma,

Ami-

Ambigat hæc levibus ſubito præponere rerum
Momentis? Omni quivis, licet, oſcitet in re,
Oſcitet in nummis & fama & honore parandis,
Quæque alia inquirunt Homines ardenter amantque;
Rure vel urbe, mari terra, bellique domique
Oſcitet; id cura peragat modo pervigil omni,
Quo ſibi felicis poſt mortem munera vitæ
Comparet: haud operæ parcens ullive labori
Perſtet in hoc omnis, contemnens cætera victor
Perſtet & obduret: nec jam ſtatus unius horæ,
Unius aut agitur, pernix qui tranſvolat, anni,
At ſtatus immoti, qui nunquam finiat, ævi.

FINIS.

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

Avendò veduto per la Fede di Revisione ed Approvazione del *P. Fra Paolo Tommaso Manuelli* Inquisitor Generale del Santo Officio di Venezia nel Libro intitolato *Philosophiæ à Benedicto Stay Ragusino versibus traditæ Libri sex*, non v'esser cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e buoni costumi, concediamo Licenza à *Francesco Storti Stampator di Venezia*, che possi essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 10. Luglio 1748.

(

(Barbon Morosini Kav. Proc. Reff.

(Marco Foscarini Kav. Proc. Reff.

Registrato in Libro à Carte 28. al Num. 226.

Michiel Angelo Marino Seg.

Registrato al Magistrato Eccellentissimo contro la Bestemmia.

Francesco Gadaldini Segr.



Errata	*Corrige.*
Pag. 2. v. 58. Vitrix	Victrix
78. v. 1142. Tum	Tam
89. v. 1520. metundus	metuendus
114. v. 752. hæc	hac
135. v. 1540. cæruleiſque	cæruleiſve
140. v. 1708. Mam	Nam
188. v. 1465. Acceduntur	Accenduntur
207. v. 275. Occulſumque	Occluſumque
211. v. 411 cucta	cuncta
214. v. 520. ab	ad
225. v. 951. quoſcumque	quocumque
271. v. 572. noſtrum	noſtrorum
284. v. 1061. ſoſpita	ſopita
302. v. 1724. Proptera	Propterea